6
10-a
44

XV-f-53

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
9 V D
2

G-11-2-50


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



M. Eylbrouck Eques delin: et sculp.

JACOBI FACCIOLATI

EXERCITATIONES

In duas priores

CICERONIS

ORATIONES.

Editio altera,

Cui adjecta eſt Epiſtola ad

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QUINCTUM FRATREM

ASIÆ PRÆTOREM

DE RATIONE

REGENDÆ PROVINCIÆ.

D.PROB.ROM.S.J.

PATAVII Typis Seminarii MDCCXXXI.

Apud Joannem Manfrè

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

ILLUSTRISS. ac REVERENDISS. D.

JOANNI

ARCHIEPISCOPO

MINOTTO - OTTHOBONO

EPISCOPO PATAVINO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JACOBUS FACCIOLATUS.

Octo ferme abhinc annis, cum Seminarii Patavini curam deponerem, fatis ducentibus alio, Exercitationes

Digitized by Google

iſtas in publicum edidi; ejuſque nomine inſcripſi, qui Seminarium moderabatur: ut tota illius temporis ratio, æternis litteris conſignata, poſteris mandaretur. Nunc miro prorſus rerum noſtrarum conſenſu fit, ut divenditis exemplaribus omnibus, in hunc ipſum temporis articulum incidat editio altera, quo veterem provinciam recipere jubeor, & priſtinam ſtudiorum formam tuis auſpiciis renovare. Satis dixi, ut quivis intelligat, huic Operi non aliunde quærendum præſidium eſſe, quam a Te ipſo, qui ad Seminarii præſidium datus es, ac veluti cœlo miſſus. Hæc ſit tamquam nova

Se-

Seminarii æra ; illuſtri monumento ſignata ; ut quidquid in poſterum litteræ noſtræ aut honoris , aut commodi capient , notum ſit omnibus atque exploratum , quo auctore capiant . Vix attigiſti Urbem hanc , in vineam Domini vocatus , cum ſtatim de Seminario cogitare cœpiſti ; curamque iſtam reliquis omnibus prævertendam exiſtimaſti . Idem facis , quod peritus agricola , de quo Columella in libro de Arborib. cap. 1. Qui vineam , vel arbuſtum conſtituere velit , ſeminaria prius facere debet. *Senſa hæc & conſilia rectiſſimæ mentis , ex ipſa religionis Sede hauſta , & ad nos al-*

allata , cum populus omnis ingenti lætitia excepit , tum vero ii maxime , qui in Seminario alti atque educati , ita hujus loci fortunam intuentur , ut quiſque ſuam . Hæc me quoque excuſſerunt , officii quidem non oblitum , ſed in Dialecticæ gyris atque mæandris , tanquam apud Sirenios ſcopulos, *ut Gellii verbis utar , pro temporum conditione quieſcentem . Nunc jam audio Paſtoris optimi ac vigilantiſſimi vocem ; eamque cum ipſe ſponte ſequor , tum me illi etiam ſequi jubent , in quorum auctoritatem fidemque conceſſeram : iiſque conditionibus jubent , ex quibus apparet ,*

quid-

quidquid in hac Urbe artium, quidquid litterarum eſt, quocumque cenſeatur nomine, in una eademque Principis tutela poſitum eſſe. Superi bonorum largitores fortunent cœlum hoc, in quo omnia tam recte conſentiunt, ima cum mediis, media cum ſummis, litteræ cum religione, imperium cum ſacerdotio. Si qua eſt, aut eſſe poteſt mortalium felicitas, hic certe eſt, ubi omnia conſilio & ratione temperantur; ubi nihil durum, nihil aſperum, nihil violentum; nihil denique niſi ad vitæ commodum & diſciplinæ ſanctitatem, quantum humana patiun-

tiun-

tiuntur , ſapientiſſime comparatum . Ego equidem aſſiduis contentionibus efficiam , ut omnes intelligant , neminem unum in terris eſſe patria ſua , temporibus ſuis , ſorte ſua , quod rariſſimum habetur , magis contentum . Vale .

A D

Digitized by Google

AD LECTOREM.

QUI veteres Scriptores interpretandos ſuſcipiunt, non omnes eodem ſpectant. Alii enim hac via & ratione eruditionis famam aucupantur; alii Criticæ artis peritiam jactare volunt; quidam etiam interpretandi ſpecie bibliothecis ſuis, & antiquis monumentis lucem quærunt: pauci admodum, bone Lector, de te cogitant. Ego certe interpretis vocem & vim meditatus, non alio conſilio meam hanc interpretationem edo, niſi ut infirmis ingeniis conſulam, Ciceronem cognoſcere volentibus, & quam minimo labore cognoſcere. Iccirco & Italicam Ludovici Dolce interpretationem examinavi, & aliquid hujuſmodi de meo edidi. Illud autem in primis curavi, ne Ciceronis contextum per longas commentationes oculis ſubducerem. Proinde quæ paucis verbis explicari potuerunt, ſuo loco explicui: quæ majorem operam deſiderare viſa ſunt, in ejus Orationis finem, ad quam pertinerent, longiuſculis animadverſionibus comprehenſa collocavi: ſi qua vero nec breves explicatus haberent, & multis eſſent locis explicanda, ea ad Indicem rejeci, qui ſimul lexici cujuſdam Ciceroniani, ſimul commentarii locum tenebit. Habes magni operis exemplum; quod ſi nos perficere non poterimus, non deerit qui perficiat. Vale.

NOI

Digitized by Google

NOI REFORMATORI

Dello ſtudio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, ed approbazione del P. F. Ambroſio Liſotti Inquiſitore , nel Libro Intitolato *Jacobi Facciolati Exercitationes in duas priores Ciceronis Orationes &c.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi , e buoni coſtumi , concediamo licenza a Gio: Manfrè Stampatore, che poſsa eſſere ſtampato, oſservando gli ordini in materia di Stampe , e preſentando le ſolite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 20. Settembre 1723.

(Carlo Ruzini Kav. Proc. Rif.
(Alviſe Piſani Kav. Proc. Rif.
(

Regiſtrato.

Agoſtino Gadaldini Segret.

Digitized by Google

ORATIONIS
PRO P. QUINCTIO
ARGUMENTUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Societas fuerat mercaturæ cauſſa inter C. Quinctium, & Sex. Nævium. Mortuo C. Quinctio, jus & bona ſocietatis ad Publium ejus fratrem ex hereditate pervenerunt. Hinc, ut fere fit, lis orta cum ſocio Nævio de rebus dividundis; in qua ita per aliquod tempus velitatum eſt, ut Quinctius denique ſive ſocordia ſua, ſive Nævii inſidiis vadimonium deſeruiſſe videretur. Quare quæ fuerat cauſſa meriti, *facta eſt cauſſa* ordinis, *ut noſtrorum judiciorum formulis utar, tironum gratia. Cum enim litigatore uno vadimonium deſerente, alter bonorum ejus poſſeſſionem a Prætore poſtulare poſſet, Nævius ajebat, ſe & edictum obtinuiſſe Prætoris, & bona poſſediſſe. Volebat Quinctius cauſſam inſtaurare de rebus ſocietatis; nec Dolabella Prætor vetabat, dummodo ſatisdaret judicatum ſolvi. Satisdare autem debebat is, qui vadimonium non ſtitiſſet, & poſſeſſionem bonorum ſuorum amiſiſſet, ea ratione, quæ affertur in Indice ad vocem* ſatisdare. *Quod ſi nollet ſatisdare, Prætor jubebat, ut ſponſione adverſarium provocaret, hoc eſt certam pecuniam ſponderet*, ni probaret, bona ſua edicto Prætoris poſſeſſa non eſſe, *& in hanc formulam litem conteſtaretur. Utrumque erat illi incommodum. In*

primo enim infamiam ſubibat, quod fateretur, ſe vadimonium deſeruiſſe; in altero cogebatur priore loco cauſſam dicere, hoc eſt actoris partes ſuſcipere, cum re vera reus eſſet. Maluit ex ſponſione agere. Hæc ut melius intelligas, vide in Indice quid ſit vadimonium, *quid* ſatisdatio, *quid* ſponſio.

Genus igitur cauſſæ hujus Judiciale eſt: ipſa vero cauſſa privata. Dicitur paſſim in Oratione cauſſa capitis, quia agitur de fortunis & fama Quinctii: fama autem vitæ æquiparatur l. 8. §. 2. *D.* quod metus cauſſa.

Status conjecturalis eſt, utrum bona Quinctii ex edicto Prætoris a Nævio poſſeſſa ſint. *Hortenſius nomine P. Nævii affirmat, Cicero nomine P. Quinctii negat. Dici etiam poteſt* Status finitivus, *quia non de facto dumtaxat quæritur, ſed etiam de nomine & natura iſtius poſſeſſionis.*

Riccobonus, & Merouvillius, duos fuiſſe Nævii patronos affirmant, L. Philippum, & Hortenſium. Pugnavit ſane pro Nævio Philippus, non tamen eloquentia, ſed opibus & conſilio; quod colligitur multis ex locis, ſed præſertim ex cap. 25. Cum contra dicturus eſſet Hortenſius, & cum eſſet attente auditurus Philippus: & ex *cap.* 26. Si tu L. Philippe, hanc cauſſam voles cum Hortenſio dicere, tamen ſuperior ſim neceſſe eſt. *Præterquamquod quis ſibi perſuadeat, patronis duobus eloquentiſſimis unum oppoſitum fuiſſe Ciceronem & adoleſcentem, & pro temporis anguſtia imparatum; ipſum vero de tanta injuria doluiſſe nuſquam?*

Judex datus eſt a Prætore C. Aquillius Gallus Juriſconſultus, Q. Mutii auditor, quem Cicero

ſupra

ſupra modum laudat in Orat. pro Cæcin. c. 17. *Is autem Juriſperitos tres in conſilium advocavit, P. Quinctilium, M. Marcellum, & L. Lucilium. Non enim* Lucullum *legendum eſſe oſtendit Manutius ad hujus orationis c.* 16. *quia Lucilium fuiſſe Juriſconſultum conſtat ex Cicerone in Bruto; Lucullum vero accepimus tractaſſe arma, non leges.*

Acta eſt cauſſa in Comitio, ubi privata judicia fieri ſolebant, M. Tullio Decula, & Cn. Cornelio Dolabella Coſs. anno U. C. 672. *Sylla Dictatore, cum Cicero ageret ætatis annum* 26., *ut contendit Gellius l.* 15. *c.* 28. *Albertus Fabricius in Latina Bibliotheca l.* 1. *c.* 8. *pag.* 99. *actam putat anno U. C.* 673. *poſt idus Mart. quæ fuit etiam ſententia And. Schotti Tullianarum quæſt. l.* 4. *c.* 7.

Partes Orationis quinque ſunt, Exordium, Narratio, Partitio, Confirmatio, Peroratio. Quibus adde Amplificationem, ſive ipſa per ſe conſtet, ſive ad Perorationem ſit referenda.

Vocem Hortenſius *littera multat Lambinus, putatque ſcribendum* Horteſius, *quod Græce dicatur* Ὀρτήσιος. *Sed vindicat F. Urſinus antiquorum monumentorum auctoritate, quibus nihil detrahere debet Græcorum conſuetudo hujuſmodi nomina ſine* ν *efferentium, ut* Κλήμης, Clemens, *& ſimilia.*

Aquilius *etiam quidam malunt per ſimplicem* l, *quam* Aquillius *per duplicem, &* Quintius, *quam* Quinctius. *Ego videor mihi doctioribus acceſſiſſe: ſed nemo eſt tamen, cui deſint veterum codicum & lapidum teſtimonia.*

Quinctia *gens inter Patricias a Tullo rege re-*

lata eſt: ſed noſter hic ex Plebeja fuiſſe videtur, ex qua genus duxit L. Quinctius Tribunus plebis, Oppianici defenſor, de quo in Orat. pro A. Cluentio.

ORA-

Digitized by Google

ORATIONIS EXORDIUM.

Benevolentiam captat commiſeratione quadam clientis ſui, quem affici oſtendit in hac cauſſa quatuor præſertim incommodis, 1. gratia Nævii. 2. eloquentia Hortenſii. 3. abſentia M. Junii patroni. 4. iniquitate Prætoris.

Quæ res in civitate duæ plurimum poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia: quarum alteram, C. Aquilli, vereor, alteram metuo: eloquentia Q. Hortenſii ne me in dicendo impediat, non nihil commoveor; gratia Sex. Nævii ne P. Quinctio noceat, id vero non mediocriter pertimeſco. Neque hoc tantopere querendum videretur, hæc ſumma in illis eſſe, ſi in nobis eſſent ſaltem mediocria: verum ita ſe res habet, ut ego, qui neque uſu ſatis, & ingenio parum poſſum, cum patrono di- c. 1.

Summa gratia) amicorum multorum favor, πολυφιλία, quæ facit homines confidentes, ut eſt apud Ariſtotelem Rhetor. l. 2. t. 159. V. in Indice *Gratia*.

quarum alteram vereor) eloquentiam vereor, gratiam metuo. *Vereor* minorem vim habet, quam *metuo*. V. Ind.

in dicendo impediat) ne multis in rebus timore prolabar, ut eſt cap. 25. In quibuſdam codicibus deeſt particula *in*.

neque uſu ſatis) anno tantum ſuperiore ad judicia acceſſerat.

diſertiſſimo comparer; P. Quinctius, cui tenues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copiæ ſunt, cum adverſario gratioſiſſimo contendat. Illud quoque nobis accedit incommodum, quod M. Junius, qui hanc cauſſam, Aquilli, aliquoties apud te egit, homo & in aliis cauſſis exercitatus, & in hac multum, & ſæpe verſatus, hoc tempore abeſt, nova legatione impeditus; & ad me ventum eſt, qui, ut ſumma haberem cetera, temporis quidem certe vix ſatis habui, ut rem tantam, tot controverſiis implicatam, poſſem cognoſcere. Ita, quod mihi conſuevit in ceteris cauſſis eſſe adjumento, id quoque in hac cauſſa deficit. Nam, quo minus ingenio poſſum, ſubſidio mihi diligentiam comparavi: quæ quanta ſit, niſi tempus & ſpatium datum ſit, intelligi non poteſt. Quæ quo plura ſunt, C. Aquilli, eo te, & hos, qui tibi in conſilio adſunt, meliori mente noſtra verba audire oportebit; ut multis incommodis veritas debilitata tandem æquitate talium virorum recreetur. Quod ſi tu judex nullo præſidio fuiſse videbere contra vim & gratiam ſolitudini atque ino-

tenues opes) exigua auctoritas & potentia: quo ſenſu dixit infra, *ex opibus, non ex veritate*. Et paullo poſt, *ſummis opibus Nævium defendunt*.

gratioſiſſimo) *pieno d' aderenze, prepotente*.

Junius) quem ſodalem appellat Cic. in fi. lib. 3. de leg.

aliquoties) Acta fuerat antea cauſſa hæc, ſed numquam perorata. V. Animad. I.

nova legatione) non conſtat qua legatione, certe improviſa.

quo minus) Al. leg. *quod minus*.

comparavi) inſtruxi me diligentia.

& hos) Lucilium, Quinctilium, & Marcellum.

inopiæ ; ſi apud hoc conſilium ex opibus, non ex veritate cauſſa pendetur ; profecto nihil eſt jam ſanctum atque ſincerum in civitate ; nihil, quod humilitatem cujuſquam gravitas & virtus judicis conſoletur. Certe aut apud te, & eos, qui tibi adſunt, veritas valebit ; aut ex hoc loco repulſa vi & gratia, locum, ubi conſiſtat, reperire non poterit. * Non eo dico, C. Aquilli, quo mihi veniat in dubium tua fides & conſtantia ; aut quo non in iis, quos tibi advocaſti, viris electiſſimis civitatis, ſpem ſummam habere P. Quinctius debeat. Quid ergo eſt? Primum magnitudo periculi ſummo timore hominem afficit, quod uno judicio de fortunis omnibus decernit : idque dum cogitat, non minus ſæpe ei venit in mentem poteſtatis, quam æquitatis tuæ : propterea quod omnes, quorum in alterius manu vita poſita eſt, ſæpius illud cogitant, quid poſſit is, cujus in ditione ac poteſtate ſunt, quam quid debeat facere. Deinde habet adverſarium P. Quinctius verbo Sex. Nævium, re vera hujuſce ætatis homines diſertiſſimos, fortiſſimos, ornatiſſimos noſtræ civitatis, qui communi ſtudio, ſummis opibus Sex. Nævium defendunt : ſi id eſt defendere, cupiditati alterius obtemperare, quo is facilius, quem velit, iniquo judicio opprimere poſſit. Nam quid hoc iniquius, aut indignius, C. A- C. II.

opibus) potentia.
tibi advocaſti) Ipſe igitur Aquillius Judex hujus cauſſæ a Prætore conſtitutus, tres ſibi juriſperitos in conſilium advocaverat.
homines diſertiſſimos, &c.) Q. Hortenſium, L. Philippum, & ceteros advocatos Nævii.

C. Aquilli, dici, aut commemorari poteſt, quam me, qui caput alterius famam fortunaſque defendam, priore loco cauſſam dicere? Cum præſertim Q. Hortenſius, qui hoc judicio partes accuſatoris obtinet, contra me ſit dicturus; cui ſummam copiam facultatemque dicendi natura largita eſt. Ita fit, ut ego, qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam telum adverſarius nullum jecerit: illis autem id tempus impugnandi detur, cum & vitandi illorum impetus poteſtas ademta nobis erit; & ſi qua in re, id quod parati ſunt facere, falſum crimen, quaſi venenatum aliquod telum jecerint, medicinæ faciendæ locus non erit. Id accidit Prætoris iniquitate & injuria: primum, quod contra omnium conſuetudinem judicium prius de probro, quam de re, maluit fieri: deinde, quod ita conſtituit id ipſum judicium, ut reus, antequam verbum accuſatoris audiſſet, cauſſam dicere cogeretur. Quod eorum gratia & potentia factum eſt, qui, quaſi ſua res, aut honos agatur, ita diligen-

ter

caput alterius) deſerentes vadimonium infamia manebat. Itaque capitis. hoc eſt exiſtimationis hic mentio fit: nam, ut ait Modeſt. l. licet. D. Verb. Sign. *Capitalis latine loquentibus omnis cauſſa exiſtimationis videtur*.

priore loco) quia ſponſionem facere coactus erat, priore loco dicere debebat, quaſique actoris partes ſuſtinere, cum revera defenderet. V. Argumentum.

vitandi) diſſolvendi crimina.

Prætoris iniquitate); Cn. Dolabellæ.

de probro) utrum vadimonium deſeruerit Quinctius, ideoque ejus bona ex edicto poſſeſſa ſint.

de re) de qua princeps erat controverſia diſceptanda judicio *pro ſocio*.

cauſſam dicere) crimina diluere. *difenderſi in giudizio*. Vide Ind.

ter Sex. Nævii ſtudio & cupiditati morem gerunt; & in ejuſmodi rebus opes ſuas experiuntur, in quibus quo plus propter virtutem nobilitatemque poſſunt, eo minus, quantum poſſint, debent oſtendere. Cum tot tantiſque difficultatibus affectus atque afflictus, in tuam, C. Aquilli, fidem, veritatem, miſericordiam P. Quinctius confugerit; cum adhuc ei propter vim adverſariorum non jus par, non agendi poteſtas eadem, non magiſtratus æquus reperiri potuerit; cum ei ſummam per injuriam omnia inimica atque infeſta fuerint: te, C. Aquilli, voſque, qui in conſilio adeſtis, orat atque obſecrat, ut multis injuriis jactatam atque agitatam æquitatem, in hoc tandem loco conſiſtere, & confirmari patiamini. Id quo facilius facere poſſitis, dabo operam, ut, a principio res quemadmodum geſta & contracta ſit, cognoſcatis.

NARRATIO.

Docilem reddit Judicem expoſitione totius rei diſtinctiſſima, quomodo Nævius ſocietatem primum inierit cum C. Quinctio, deinde cum Publio Caji fratre & herede anno integro confirmaverit; quomodo inſidiis ſocium & affinem ſuum circumvenerit; quomodo pecuniam ſit pollicitus, ut in articulo temporis denegaret, ſuiſque conditionibus adſtringeret; quomodo per ſummam fraudem vadimonium diſſolverit, & abſente Quinctio praſtiterit; quomodo contra jus faſque in bonorum ejus poſſeſſionem irruerit; denique quomodo opibus & gratia obtinuerit a Pratore Dolabella, ut Quinctius

ctius cogeretur vel ſatiſdare, ſi vellet de re *agere, vel ſponſionem facere, ſi mallet* de ordine, *ut ajunt, diſceptare. Tamdem ultimo loco narrat, cur ex* ſponſu *maluerit Quinctius agere, quidque illi potiſſimum in hac cauſſa noceat.*

C. III. * C. Quinctius fuit P. Quinctii hujus frater, ſane ceterarum rerum paterfamilias & prudens & attentus, una in re paullo minus conſideratus, qui ſocietatem cum Sex. Nævio fecerit, viro bono, veruntamen non ita inſtituto, ut jura ſocietatis, & officia certi patrisfamilias noſſe poſſet: non quo ei deeſſet ingenium: nam neque parum facetus ſcurra Sex. Nævius, neque inhumanus præco eſt umquam exiſtimatus. Quid ergo eſt? Cum ei natura nihil melius, quam vocem, dediſſet, pater nihil præter libertatem reliquiſſet; vocem in quæſtum contulit; libertate uſus eſt, quo impunius dicax eſſet. Quare, quod ſocium tibi eum velles adjungere, nihil erat, niſi ut in tua pecunia condiſceret, qui pecuniæ fructus eſſet: tamen inductus conſuetudine ac familiaritate Quinctius fecit, ut dixi, ſocietatem earum rerum, quæ in

ceterarum rerum) conſtructio Græca, in qua per ellipſim deeſt περί.

certi patrisf.) ſpectati. V. Indicem.

inhumanus præco) nimis acerbus & moleſtus. V. Indicem. Al. leg. *inurbanus*. Præcones porro auctionarios dicaces fuiſſe conſtat ex Apulejo lib. 8. Metamorph. & ex Cicerone pro Planc. c. 14. tum ex eodem in Brut. c. 46. ubi multa de facetiis Granii præconis.

quo impunius) quippe homo liber in libera civitate.

in tua pecunia) quia cum Nævius nihil haberet, non poterat pecuniæ fructum niſi ex aliena pecunia cognoſcere. *Pecunia* hic ſumitur pro rebus omnibus, quæ ſunt in patrimonio.

in Gallia comparabantur. Erat ei pecuaria res ampla, & ruſtica ſane bene culta & fructuoſa. Tollitur ab Atriis Liciniis, atque a præconum conſeſſu in Galliam Nævius, & trans Alpes uſque transfertur. Fit magna mutatio loci, non ingenii. Nam qui ab adoleſcentulo quæſtum ſibi inſtituiſſet ſine impendio; poſteaquam neſcio quid impendit, & in commune contulit, mediocri quæſtu contentus eſſe non poterat. Nec mirum, ſi is, qui vocem venalem habuerat, ea, quæ voce quæſiverat, magno ſibi quæſtui fore putabat. Itaque hercule haud mediocriter de communi, quidquid poterat, ad ſe in privatam domum ſevocabat. Qua in re ita diligens erat, quaſi ii, qui magna fide ſocietatem gererent, arbitrium pro ſocio, condemnari ſolerent. Verum his de rebus non neceſſe habeo dicere ea, quæ me P. Quinctius cupit commemorare. Tametſi cauſſa poſtulat; tamen, quia poſtulat, non flagitat, prætеribo. * Cum c. IV.

an-

pecuaria, & ruſtica) armenta, & prædia.

Tollitur) vi pecuniæ, cui inhiabat.

Atriis Liciniis) Atriis auctionariis, ut ab eodem Cic. dicuntur in prima contra Rullum, c. 3.

trans Alpes) in Galliam Tranſalpinam.

ſine impendio) quia vocis proprie loquendo nullum impendium eſt. Sed veretur Paſſeratius, ne quid lateat obſcœnum.

Nec mirum) ſi, qui ex re minima, & per ſe ipſa non venali fructum tulerat, is multo majorem fructum ex pecunia, & rebus vere venalibus colligendum ſibi putabat.

arbitrium pro ſocio) Grævius tollit *arbitrium*: Budæus leg. *arbitrii*: Hotomanus *arbitrio*: Manutius *ad arbitrium*. Senſus eſt, quaſi qui fraudentur, non qui fraudent, condemnari ſoleant in judicio, quod dicitur *pro ſocio*. Quid ſit *arbitrium pro ſocio*, V. Ind.

Tametſi) Al. *nam etſi*.

poſtulat, non flagitat) *flagitare* ſignificat rem ſibi debitam vehementer poſcere. Itaque majorem vim habet, quam *poſtulare*. V. Ind.

annos jam complures ſocietas eſſet; & cum ſæpe ſuſpectus Quinctio Nævius fuiſſet; neque ita commode poſſet rationem reddere earum rerum, quas libidine, non ratione geſſerat; moritur in Gallia Quinctius, cum adeſſet Nævius, & moritur repentino. Heredem teſtamento reliquit hunc P. Quinctium; ut, ad quem ſummus mœror morte ſua veniebat, ad eumdem ſummus honos quoque perveniret. Quo mortuo, nec ita multo poſt in Galliam proficiſcitur Quinctius: ibi cum iſto Nævio familiariter vivit: annum fere una ſunt; cum & de ſocietate inter ſe multa communicarent, & de tota illa ratione, atque re Gallicana: neque interea verbum ullum interpoſuit Nævius, aut ſocietatem ſibi quippiam debere, aut privatim Quinctium debuiſſe. Cum æris alieni aliquantulum eſſet relictum, quibus nominibus pecuniam Romæ curari oporteret; auctionem in Gallia P. hic Quinctius Narbone ſe facturum eſſe proſcribit earum rerum, quæ ipſius erant privatæ. Ibi tum vir optimus Sex. Nævius hominem multis verbis deterret, ne auctionetur: eum non ita commode poſſe eo tempore, quæ proſcripſiſſet, vendere: Romæ ſibi nummorum facultatem eſſe, quam, ſi ſaperet, communem exiſtimaret pro fraterna illa neceſſitudine, & pro ipſius affinitate. Nam P. Quinctii conſobrinam habet in matrimonio Nævius, & ex ea liberos. Quia,

quod

ſummus honos) quia non utile ſolum, ſed perhonorificum erat inſtitui heredem.

nec ita) *nec* pro *non*. V. Ind.

privatim) extra ſocietatem.

quibus nominibus) Ital. *partite*. Ea, quæ in codicem accepti & expenſi referuntur, nomina dicuntur.

quod virum bonum facere oportebat, id loquebatur Nævius, credidit Quinctius, eum, qui orationem bonorum imitaretur, facta quoque imitaturum. Auctionem velle facere deſiſtit: Romam proficiſcitur: decedit ex Gallia Romam ſimul Nævius. Cum pecuniam C. Quinctius P. Scapulæ debuiſſet; per te, C. Aquilli, decidit P. Quinctius, quod liberis ejus diſſolveret. Hoc eo per te agebatur, quod propter ærariam rationem non ſatis erat, in tabulis inſpexiſſe, quantum deberetur, niſi ad Caſtoris quæſiſſet, quantum ſolveretur. Decidis, ſtatuiſque tu propter neceſſitudinem, quæ tibi cum Scapulis eſt, quid iis ad denarium ſolveretur.
* Hæc omnia Quinctius agebat auctore & con- C. V.
ſuaſore Nævio; nec mirum, ſi ejus utebatur conſilio, cujus auxilium ſibi paratum putabat. Non modo enim pollicitus erat in Gallia; ſed Romæ quotidie, ſimul atque ſibi hic annuiſſet, numeraturum ſe dicebat. Quinctius porro iſtum poſſe facere videbat; debere intelligebat; mentiri, quia cauſſa, cur mentiretur, non erat, non putabat. Quaſi domi nummos haberet, ita conſtituit Scapulis ſe daturum: Nævium certio-

per te decidit) opera tua tranſegit; ut in re obſcura.

ærariam rationem) propter varietatem pecuniæ Gallicæ, & Romanæ.

ad Caſtoris) ad ædem Caſtoris, ubi publica pecunia ſervabatur, & omnis de re nummaria controverſia componebatur. Al. *a Quæſtoribus.*

ad denarium) ad monetam Romanam. Aquillius enim rationes Gallica moneta, aut alia contractas ad denarium Romanum iniit, & expedivit. De denario V. Ind.

annuiſſet) melius Al. *innuiſſet.*

debere intelligebat) tum quia multum ex rebus ſocietatis abraſerat; tum etiam ob neceſſitudinem & affinitatem.

tiorem facit: rogat, ut curet, quod dixiſſet. Tum iſte, vir optimus, (vereor, ne ſe derideri putet, quod iterum jam dico optimus) qui hunc in ſummas anguſtias adductum putaret; ut eum ſuis conditionibus in ipſo articulo temporis adſtringeret, aſſem ſeſe negat daturum, niſi prius de rebus rationibuſque ſocietatis omnibus decidiſſet, & ſciſſet ſibi cum Quinctio controverſiæ nihil futurum. Poſterius, inquit, iſta videbimus, Quinctius: nunc hoc velim cures, ſi tibi videtur, quod dixiſti. Negat ſe alia ratione facturum: quod promiſiſſet, non plus ſua referre, quam, ſi cum auctione venderet, domini juſſu quippiam promiſiſset. Deſtitutione illa perculſus Quinctius a Scapulis paucos dies aufert: in Galliam mittit, ut ea, quæ proſcripſerat, venirent: deteriore tempore abſens auctionatur: Scapulis difficiliore conditione diſsolvit. Tunc appellat ultro Nævium, ut, quoniam ſuſpicaretur aliqua de re fore controverſiam, videret, ut quamprimum, & quam minima cum moleſtia tota res tranſigeretur. Dat iſte amicum M. Trebellium: nos communem neceſsarium, qui iſtius domi erat educatus, & quo utebatur iſte plurimum, propinquum noſtrum, Sex. Alphenum. Res convenire nul-

ſuis conditionibus) legibus, & pactionibus ſibi opportuniſſimis.

aſſem) ne minimum quidem nummum. V. Ind.

auctione venderet) hoc eſt præconem ageret: præco enim auctionarius promittit, dominus præſtat. Al. leg. *auctionem*.

paucos dies aufert) dilationem paucorum dierum impetrat.

difficiliore) majore incommodo. Ital. *con maggiore ſcapito*.

Trebellium) Arbitrum.

nullo modo poterat : propterea quod hic me-
diocrem jacturam facere cupiebat , iſte medio-
cri præda contentus non erat . Itaque ex eo
tempore res eſse in vadimonium cœpit . Cum
vadimonia ſæpe dilata eſsent ; & cum aliquan-
tum temporis in ea re eſset conſumtum , neque
quidquam profectum eſset ; venit ad vadimo-
nium Nævius . * Obſecro , C. Aquilli , voſque , C. VI.
qui adeſtis in conſilio , ut diligenter attendatis ,
ut ſingulare genus fraudis , & novam rationem
inſidiarum cognoſcere poſſitis . Ait ſe auctio-
natum eſse in Gallia : quod ſibi videretur , ſe
vendidiſse : curaſse , ne quid ſibi ſocietas debe-
ret : ſe jam neque vadari amplius , neque vadi-
monium promittere : ſi quid agere ſecum velit
Quinctius , non recuſare . Hic , cum rem Galli-
canam cuperet reviſere , hominem in præſentia
non vadatur : ita ſine vadimonio diſceditur :
deinde Romæ dies xxx fere Quinctius commo-
ratur : cum ceteris , quæ habebat , vadimonia
differt , ut expeditus in Galliam proficiſci poſ-
ſet : proficiſcitur : Roma egreditur ante diem
II. Kal. Febr. Scipione , & Norbano coss. Quæ-
ſo , ut eum diem memoriæ mandetis . L. Al-
bius , Sex. filius Quirina , vir bonus , & cum
primis honeſtus , una profectus eſt . Cum veniſ-
ſent

in vadimonium) V. Ind. ad præpoſ. *in* , & vocem *vadimonium* .

venit ad vadimonium) ſiſtit ſe ad diem dictam .

ante diem II.) Idem eſt ac *II. Kal.* hoc eſt *pridie Kal.* Veteres enim utroque modo loquebantur , ut ſentiunt Hotomanus , Lambinus , & alii , duce Manutio . Alii leg. *ante diem IV.* ſed perperam : nam cap. 18. habetur diem profectionis fuiſſe pridie Kal. Febr.

Quirina) hoc eſt ex tribu Quirina . V. Ind.

ſent ad Vada Volaterrana quæ nominantur, vident perfamiliarem Nævii, qui ex Gallia pueros venales iſti adducebat, L. Publicium; qui, ut Romam venit, narrat Nævio, quo in loco viderit Quinctium. Quod niſi ex Publicio narratum Nævio eſſet, non tam cito res in contentionem veniſſet. Tum Nævius ipſe pueros circum amicos dimittit: ipſe ſuos neceſſarios ab Atriis Liciniis, & a faucibus macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam ſibi adſint hora ſecunda poſtridie. Veniunt frequentes: teſtificatur iſte, P. Quinctium non ſtitiſſe, & ſe ſtitiſſe. Tabulæ maximæ ſignis hominum nobilium conſignantur: diſceditur: poſtulat a Burrieno prætore Nævius, ut ex edicto bona poſſidere liceat. Juſſit bona proſcribi ejus, quicum familiaritas fuerat, ſocietas erat, affinitas, liberis iſtius vivis, divelli nullo modo poterat. Qua

ex

Vada Volaterrana) in Agro Piſano. V. Ind.

pueros venales) ſervos.

Quod niſi ex Publicio) ex veterum MSS. fide Gruterus, & Grævius quædam hinc tollunt, itaque legunt: *quod ubi ex Publicio agnovit, pueros circum amicos* &c.

neceſſarios) præcones ab Atriis Liciniis, & parum diverſæ farinæ homines a faucibus Macelli, hoc eſt ab anguſtiis inter Viminalem, & Eſquilias, quæ in macellum deſinunt.

tabulam Sextiam) ad tabernam Sextii Argentarii, ubi teſtes ſignarent tabulas deſerti a Quinctio vadimonii. V. Ind.

ſtitiſſe) vadimonium: quaſi vero alter alterum vadatus eſſet. Eſt autem *ſtitiſſe* a *ſiſto*, unde perperam quidam *ſtetiſſe*.

maximæ) quod multorum teſtium nomina continerent.

nobilium) ironice ad imminuendam eorum auctoritatem. Non enim nobiles, qui ab Atriis Liciniis, qui a faucibus Macelli, qui amici & neceſſarii Nævii abjecti præconis.

ex edicto) quo bona ejus, qui vadimonium deſeruiſſet, adverſario addicebantur.

affinitas) vis, & quaſi vinculum affinitatis in liberis apparet.

ex re intelligi facile potuit, nullum eſſe officium tam ſanctum, atque ſolemne, quod non avaritia comminuere, atque violare ſoleat. Etenim ſi veritate amicitia, fide ſocietas, pietate propinquitas colitur; neceſſe eſt, iſte, qui amicum, ſocium, affinem fama, ac fortunis ſpoliare conatus eſt, vanum ſe, & perfidioſum, & impium, eſſe fateatur. Libellos Sex. Alphenus, procurator P. Quinctii, familiaris & propinquus Sex. Nævii, dejicit: ſervulum unum, quem iſte prehenderat, abducit: denunciat, ſeſe procuratorem eſſe, iſtum æquum eſſe famæ fortuniſque P. Quinctii conſulere, & adventum ejus expectare: quod ſi facere nolit, atque imbiberit ejuſmodi rationibus illum ad ſuas conditiones perducere; ſeſe nihil precari, &, ſi quid agere velit, judicio defendere. Hæc dum Romæ geruntur, Quinctius interea contra jus & conſuetudinem, edicto prætoris de ſaltu agroque communi a ſervis communibus vi detruditur. * Exiſtima, C. Aquilli, modo & ratione omnia Romæ Nævium feciſſe, ſi hoc, quod per litteras iſtius in Gallia geſtum eſt, recte atque ordine factum videtur. Expulſus atque ejectus e prædio Quinctius, accepta inſigni injuria, confugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tum erat C. VII.

Libellos) publice propoſitos, quibus bona Quinctii proſcriberentur. V. Ind.

ſervulum) Quinctii: nam tunc ſervi quoque inter bona habebantur; hodie utinam non inter mala.

imbiberit) in animum induxerit: ſic legit Manutius & quidem optime; alii aliter.

contra jus & conſuetudinem edicto prætoris) Hotomanus ex veteribus MSS legit *contra jus, conſuetudinem, edicta Prætorum*. hunc ſequuntur Lambinus Gruterus & Grævius, maxime propter vocem *vi*, quæ ſtatim ſequitur.

rat in provincia: quem, ut ipſius dignitas poſcit, honoris gratia nomino. Is eam rem quam vehementer vindicandam putarit, ex decretis ejus poteritis cognoſcere. Alphenus interea Romæ cum iſto gladiatore vetulo quotidie pugnabat: utebatur populo ſane ſuo; propterea quod iſte caput petere non deſinebat. Iſte poſtulat, ut procurator judicatum ſolvi ſatisdaret. Negat Alphenus æquum eſſe procuratorem ſatiſdare, quod reus ſatiſdare non deberet, ſi ipſe adeſſet. Appellantur Tribuni: a quibus cum eſſet certum auxilium petitum, ita tamen diſceditur, ut idibus Sept. P. Quinctium ſiſti Sex.
C.VIII. Alphenus promitteret. * Venit Romam Quinctius, vadimonium ſiſtit. Iſte homo acerrimus, bonorum poſſeſſor, expulſor, ereptor, annum & ſex menſes nihil petit, quieſcit, conditionibus hunc, quoad poteſt, producit: a Cn. Dolabella denique Prætore poſtulat, ut ſibi Quinctius judicatum ſolvi ſatiſdet, ex formula, quod

in provincia) in ea parte Galliæ, quæ Provincia dicitur. Ital. *Provenza*.

populo ſane ſuo) ſibi favente, quaſi in pugna Gladiatoria.

caput petere) hoc eſt exiſtimationem oppugnare. Ludit in allegoria Gladiatoris.

judicatum ſolvi) ſponſores daret. quorum periculo litis æſtimatio ſolveretur, damnato Quinctio.

non deberet) quia vadimonium non deſeruerat.

Tribuni) ut intercedant Prætoris decreto.

certum auxilium) quod deeſſe non poterat ex more & inſtituto.

diſceditur) quia licet certum eſſet eorum auxilium, tamen antequam intercederent, convenit inter Nævium, & Alphenum.

vadimonium ſiſtit) quod Alphenus promiſerat.

producit) propoſitis conditionibus rei tranſigendæ, differt judicium.

ex formula) ſi quis vellet inſtaurare litem, cujus antea vadimonium deſeruiſſet, jubebatur ſatiſdare. V. Ind.

quod ab eo petat, *cujus ex edicto Prætoris Romani bona dies xxx poſſeſſa ſint*. Non recuſabat Quinctius, quin ita ſatiſdare juberet, ſi bona poſſeſſa eſſent ex edicto. Decernit: quam æquum, nihil dico: unum hoc dico, novum: & hoc ipſum tacuiſſe mallent; quoniam utrumque quivis intelligere potuiſſet. Jubet P. Quinctium aut ſatiſdare, aut ſponſionem cum Sex. Nævio facere, *ſi bona ſua ex edicto P. Burrieni Prætoris dies xxx poſſeſſa eſſent*. Recuſabant, qui aderant tum Quinctio: demonſtrabant, de re judicium fieri oportere; ut aut uterque inter ſe, aut neuter ſatiſdaret: non neceſſe eſſe famam alterius in judicium venire. Clamabat porro ipſe Quinctius, ſeſe iccirco nolle ſatiſdare, ne videretur judicaſſe, bona ſua ex edicto poſſeſſa eſſe; ſponſionem porro ſi iſtiuſmodi faceret, ſe, id quod nunc evenit, de capite ſuo priore loco cauſſam eſſe dicturum. Dolabella (quemadmodum ſolent homines nobiles, ſeu recte, ſeu perperam facere cœperunt, ita in utroque excellunt, ut nemo

no-

juberet) Al. *juberetur*.

Decernit) V. Animadverſ. II.

ſponſionem) ſponſionem facit, qui ſpondet certam pecuniam, eaque provocat adverſarium, ſi cauſſa cadat: hac autem ratione fit actor, & priore loco dicit. V. Ind.

ſi bona ſua) formulæ ſponſionis. Muretus, & alii: *ni bona ſua ex edicto P. Burrieni Prætoris dies XXX. poſſeſſa non eſſent*. Et quidem fortaſſe melius, quia ſponſiones & experimenta reliqua in jure per particulam *niſi* concipiebantur. Quo ſpectat illa Terentii formula Adelph. 3. 4. 37. *Immo hercle extorque, niſi ita factum eſt*.

de re) h. e. de rebus ſocietatis, non de deſerto vadimonio. Hic dormitat Manutius.

priore loco) V. Animadverſ. III.

nobiles) Patricii omnes, & qui majorum ſuorum imagines oſtendere poterant.

noſtro loco natus aſsequi poſſit) injuriam facere fortiſſime perſeverat: aut ſatiſdare, aut ſponſionem jubet facere; & interea recuſantes

C.IX. noſtros advocatos acerrime ſubmoveri. * Conturbatus ſane diſcedit Quinctius: neque mirum, cui hæc optio tam miſera, tamque iniqua daretur, ut aut ipſe ſe capitis damnaret, ſi ſatiſdediſset; aut cauſsam capitis, ſi ſponſionem fecisſet, priore loco diceret. Cum in altera re cauſsæ nihil eſset, quin ſecus judicaret ipſe de ſe, quod judicium graviſſimum eſt; in altera ſpes eſset ad talem tamen virum judicem veniendi, unde eo plus opis auferret, quo minus attuliſset gratiæ; ſponſionem facere maluit: fecit; te judicem, C. Aquilli, ſumſit, ex ſponſo egit. In hoc ſumma judicii, cauſsaque tota conſiſtit. Judicium eſse, C. Aquilli, non de re pecuniaria, ſed de fama fortuniſque P. Quinctii vides. Cum majores ita conſtituerint, ut, qui pro capite diceret, is poſteriore loco diceret; nos, inaudita criminatione accuſatorum, priore loco cauſsam dicere intelligis? eos porro, qui defendere conſueverunt, vides accuſare, & ea ingenia converti ad perniciem, quæ antea verſabantur in ſalute atque auxilio ferendo. Illud etiam reſtiterat, quod heſterno die fecerunt, ut te in jus

noſtro loco natus) Cicero equeſtri loco natus erat.

in altera re) ſi ſatiſdediſſet, inficiari non poterat, quin ipſe de ſe minus recte judicaret.

talem) Aquillium.

gratiæ) favoris ac potentiæ.

ex ſponſo) Al. *ex ſponſu*. hoc eſt ex ſponſione actionem inſtituit.

eos porro) Hortenſium, qui antea defendere conſueverat.

in jus) ad Prætorem, cujus erat jus dicere.

jus adducerent, ut nobis tempus, quamdiu diceremus, præſtitueres. Quam rem facile a Prætore impetraſsent, niſi tu, quod eſset tuum jus & officium parteſque, docuiſses. Neque nobis adhuc, præter te, quiſquam fuit, ubi noſtrum jus contra illos obtineremus: neque illis umquam ſatis fuit illud obtinere, quod probari omnibus poſset: ita ſine injuria potentiam levem atque inopem eſse arbitrantur.

PARTITIO.

Ponit Orator cauſſæ quæſtionem: negamus te bona P. Quinctii, Sex. Nævi, poſsediſse ex edicto Prætoris. *Probationes in tria capita divídit.* 1. *quia cauſſa non fuit, cur Nævius a Prætore bonorum poſſeſſionem poſtularet;* 2. *quia ex edicto poſſidere non potuit;* 3. *quia re vera non poſſedit. Porro nos Partitionem hanc, Orationis partem dicimus, non quod revera pars ſit, ſed ut ordini, & perſpicuitati, quam maxime poſſumus, conſulamus.*

* Verum, quoniam tibi inſtat Hortenſius, c.x. ut eas in conſilium; a me poſtuìat, ne dicendo tempus abſumam; queritur, priore patrono cauſſam defendente, numquam perorari potuiſſe: non patiar iſtam manere ſuſpicionem, nos

docuiſſes) carpit inſcitiam Dolabellæ.

levem) inanem, niſi abutantur ad injurias inferendas.

eas in conſilium) ſententiam feras.

priore patrono) M. Junio, de quo cap. 1. V. Animadv. I.

perorari) controverſiam totam expediri.

manere ſuſpicionem) in quam inciderat prior patronus M. Junius.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nos rem judicari nolle. Nec illud mihi arrogabo, me poſſe cauſſam commodius demonſtrare, quam antea demonſtrata ſit: neque tamen tam multa verba faciam: propterea quod & ab illo, qui ante dixit, informata jam cauſſa eſt; & a me, qui neque excogitare, neque pronunciare multa poſſum, brevitas poſtulatur, quæ mihimet ipſi amiciſſima eſt. Faciam, quod te ſæpe animadverti facere, Hortenſi; totam cauſſæ meæ dictionem certas in partes dividam. Tu id ſemper facis, quia ſemper potes: ego in hac cauſſa faciam, propterea quod in hac videor poſſe facere. Quod tibi natura dat, ut ſemper poſſis, id mihi cauſſa dat, ut hodie poſſim. Certos mihi fines terminoſque conſtituam, extra quos egredi non poſſim, ſi maxime velim: ut & mihi ſit propoſitum, de quo dicam; & Hortenſius habeat expoſita, ad quæ reſpondeat; & tu, C. Aquilli, jam ante animo proſpicere poſſis, quibus de rebus auditurus ſis. Negamus, te bona P. Quinctii, Sex. Nævi, poſſediſſe ex edicto Prætoris: in eo ſponſio facta eſt. Oſtendam primum, cauſſam non fuiſſe, cur a prætore poſtulares, ut bona P. Quinctii poſſideres: deinde, ex edicto te poſſidere non potuiſſe: poſtremo, non poſsediſse. Quæſo, C. Aquilli, voſque, qui eſtis in conſilio, ut, quid pollicitus

neque pronunciare) erat enim Cicero eo tempore magna corporis infirmitate, ut ipſe ait in Brut. c. 91.

ſemper facis) notat nimiam Hortenſii in partiendo curam: de qua & Quinctilianus l. 4. Inſt. c. 5.

cauſſa dat) Al. *cauſſa concedit*.

in eo) in ea formula, ni *bona ex edicto &c.* Al. *in ea*,

tus ſim, diligenter memoriæ mandetis; etenim rem facilius totam accipietis, ſi hæc memineritis: & me facile veſtra exiſtimatione revocabitis, ſi extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipſe circumdedi. Nego fuiſse cauſſam, cur poſtularet: nego, ex edicto poſſidere potuiſse: nego poſsediſse. Hæc tria cum docuero, perorabo.

CONFIRMATIO.

Confirmatio in tres dividitur partes, ſecundum tria capita in partitione propoſita.

PARS I.

CAuſſa non fuit, cur Nævius poſtularet a Pretore, ut Quinctii bona poſſideret. 1. *quia nihil ei debuit Quinctius* uſque ad cap. XV. 2. *quia etſi Quinctius vadimonium deſeruiſſet, tamen non debuit Nævius poſtulare, ut bona ſocii poſſideret* uſque ad cap. XVIII. 3. *quia revera Quinctius vadimonium non deſeruit* uſque ad cap. XIX.

* Non fuit cauſſa, cur poſtularet. Qui hoc intelligi poteſt? Quia Sex. Nævio neque ex ſocietatis ratione, neque privatim quidquam debuit Quinctius. Quis huic rei teſtis eſt? Idem, qui acerrimus adverſarius. In hac re te, te inquam teſtem, Nævi, citabo. Annum, & eo diutius poſt mortem C. Quinctii fuit in Gallia tecum ſimul Quinctius. Doce, te petiiſſe C. XI.

exiſtimatione) qua verebor, ne me tacite reprehendatis.

ſe ab eo iſtam neſcio quam innumerabilem pecuniam. Doce, aliquando mentionem feciſſe; dixiſſe, deberi; debuiſſe, concedam. Moritur C. Quinctius, qui tibi, ut ais, certis nominibus grandem pecuniam debuit; heres ejus P. Quinctius in Galliam ad te ipſum venit, in agrum communem, eo denique, ubi non modo res erat, ſed ratio quoque omnis, & omnes litteræ. Quis tam diſſolutus in re familiari fuiſſet, quis tam negligens, quis tam tui Sexte diſſimilis; qui, cum res ab eo, quicum contraxiſſet, receſſiſſet, & ad heredem perveniſſet, non heredem, cum primum vidiſſet, certiorem faceret? appellaret? rationem afferret? ſi quid in controverſiam veniret, aut intra parietes, aut ſummo jure experiretur? Ita ne eſt? Quod viri optimi faciunt, ſi qui ſuos propinquos, ac neceſſarios caros, & honeſtos eſſe, atque haberi volunt, id Sex. Nævius non faceret? qui uſque eo fervet, ferturque avaritia, ut de ſuis commodis nolit aliquam partem amittere, ne quam partem huic propinquo ſuo ullius ornamenti relinquat. Et is pecu-

certis nominibus) Ital. *partite liquide*. Vel nomina, quibus certa cauſſa adſcripta eſt; ut in Verr. 5. c. 78.

ratio quoque omnis) codices expenſi & impenſi.

appellares) proprie *appellare* dicitur creditor debitorem ſuum, cum poſtulat quod ſibi debetur.

intra parietes) domi per amicos.

viri optimi) vel optimi viri hoc faciunt: ergo multo magis Nævius avarus & nequam.

ſi qui) Al. *hi qui*. Al. *& ſi qui*. quia non eſt dubitandum, utrum viri optimi propinquos ſuos honeſtos eſſe velint.

caros) Ital. *ben voluti*. Al. *claros*.

ullius ornamenti) dignitatis & famæ.

cuniam, ſi qua deberetur, non peteret, qui, quia, quod debitum numquam eſt, id datum non eſt, non pecuniam modo, verum etiam hominis propinqui ſanguinem, vitamque eripere conatur? Huic tu moleſtus eſſe videlicet noluiſti, quem nunc reſpirare libere non ſinis. Quem nunc interficere nefarie cupis, eum tum pudenter appellare nolebas. Ita credo, hominem propinquum, tui obſervantem, virum bonum, pudentem, majorem natu, nolebas, aut non audebas appellare. Sæpe, ut fit, cum ipſe te confirmaſſes, cum ſtatuiſſes de pecunia mentionem facere, cum paratus, meditatuſque veniſſes, homo timidus, virginali verecundia, ſubito ipſe te retinebas, excidebat repente oratio; cum cuperes appellare, non audebas, ne invitus audiret: id erat profecto. * Credamus c.xii.
hoc, Sex. Nævium, cujus caput oppugnet, ejus auribus pepercíſſe. Si debuiſſet, Sexte, petiſſes ſtatim; ſi non ſtatim, paullo quidem poſt; ſi non paullo, at aliquando; ſex quidem illis menſibus profecto; anno vertente ſine controverſia. Anno & ſex menſibus vero, cum tibi quotidie poteſtas hominis fuiſſet admonendi, verbum nullum facis: biennio jam confecto fere, appellas? Quis tam perditus, ac profuſus nepos, non adeſa jam, ſed abundanti pecunia,

ſanguinem, vitamque) quia mors civilis æquiparatur morti naturali l. 103. & 131. D. de Verb. Sign.

at aliquando) Alii *at aliquanto*. ideſt aliquanto poſt.

anno vertente) intra totum annum. Mira eſt hujus gradationis vis, nec ſine animadverſione prætereunda.

nepos) prodigus. V. Ind.

adeſa pecunia) abſumta, per metaphoram, quo modo Tacitus dixit annal. 13. c. 21. *Adeſis fortunis*.

nia, ſic diſſolutus fuiſſet, ut fuit Sex. Nævius? Cum hominem nomino, ſatis mihi videor dicere. Debuit tibi C. Quinctius: numquam petiſti. Mortuus eſt ille: res ad heredem venit: cum eum quotidie videres, poſt biennium denique appellas. Dubitabitur, utrum ſit probabilius, Sex. Nævium ſtatim, ſi quid deberetur, petiturum fuiſſe, an ne appellaturum quidem biennio? Appellandi tempus non erat? at tecum anno plus vixit. In Gallia agi non potuit? at & in provincia jus dicebatur; & Romæ judicia fiebant. Reſtat, ut aut ſumma negligentia tibi obſtiterit, aut unica liberalitas. Si negligentiam dices, mirabimur; ſi bonitatem, ridebimus: neque, præterea quid poſſis dicere, in-
C.XIII. venio. * Satis eſt argumenti, nihil eſſe debitum Nævio, quod tamdiu nihil petivit. Quid, ſi hoc ipſum, quod nunc facit, oſtendo teſtimonio eſſe, nihil deberi? Quid enim nunc agit Sex. Nævius? qua de re controverſia eſt? quod eſt hoc judicium, in quo jam biennium verſamur? quid negotii geritur, in quo ille tot, & tales viros defatigat? Pecuniam petit: nunc denique? Verumtamen petit: audiamus. De rationibus, & controverſiis ſocietatis vult dijudicari: ſero, verum aliquando tamen: concedamus. Non, inquit, id ago, C. Aquilli, neque in eo nunc laboro: pecunia mea tot annos

in provincia) ubi erat C. Flaccus Imperator, de quo c. 7.

aut unica liberalitas) libenter legerem: *aut ſumma bonitas*.

Satis eſt etc.) claudit primam rationem. Tamdiu nihil petiſti: ergo nihil tibi debebatur.

Quid ſi hoc etc.) Aggreditur alteram. Nunc nihil petis: ergo nihil tibi debetur.

nos utitur P. Quinctius: utatur ſane; non peto. Quid igitur pugnas? An, quod ſæpe multis in locis dixiſti, ne in civitate ſit? ne locum ſuum, quem adhuc honeſtiſſime defendit, obtineat? ne numeretur inter vivos? decernat de vita, & ornamentis ſuis omnibus? apud judicem cauſſam priore loco dicat; &, eam cum perorarit, tum denique vocem accuſatoris audiat? Quid? hoc quo pertinet? Ut ocyus ad tuum pervenias? At, ſi id velles, jam pridem actum eſse poterat. Ut honeſtiore judicio confligere? At ſine ſummo ſcelere P. Quinctium, propinquum tuum, jugulare non potes. Ut facilius judicium ſit? At neque C. Aquillius de capite alterius libenter judicat; & Q. Hortenſius contra caput non didicit dicere. Quid a nobis autem, C. Aquilli, refertur? Pecuniam petit: negamus deberi. Judicium fiat ſtatim; non recuſamus. Num quid præterea? Si veretur, ut res, judicio facto, parata ſit; judicatum ſolvi ſatis accipiat: quibus a me verbis ſatis accipiet, iiſdem ipſe, quod peto, ſatiſdet. Actum jam poteſt eſse, C. Aquilli: jam tu potes diſcedere liberatus moleſtia prope dicam

in civitate ſit) ne civis ſit, quippe turpi judicio damnatus.

locum ſuum) ordinem & dignitatem.

perorarit) Al. *orarit*.

jugulare) dicere contra caput Quinctii, quod ſane non eſt honeſtius judicium, quam *pro ſocio*.

didicit) conſuevit. V. c. 9.

refertur) reſpondetur.

Si veretur) ſi putat reum ſolvendo non eſſe.

quibus verbis) qua formula.

ſatiſdet) non recuſabat enim Quinctius ſatiſdare, ſed ſatiſdare ſolus; quaſi vero bonorum ſuorum poſſeſſionem ipſe amiſiſſet, ut propterea judicatum ſolvere non poſſet.

moleſtia) ut de capite judices,

cam non minore, quam Quinctius. Quid agimus, Hortenſi? quid de hac conditione dicimus? Poſsumus aliquando, depoſitis armis, ſine periculo fortunarum de re pecuniaria diſceptare? Poſsumus ita rem noſtram perſequi, ut hominis propinqui caput incolume eſse patiamur? Poſsumus petitoris perſonam capere, accuſatoris deponere? Immo inquit, abs te ſatis accipiam; ego autem tibi non ſatiſdabo.
C. XIV. * Quis tandem nobis iſta jura tam æqua deſcribit? Quis hoc ſtatuit, quod æquum ſit in Quinctium, id iniquum eſse in Nævium? Quinctii bona, inquit, ex edicto prætoris poſseſsa ſunt. Ergo, id ut confitear, poſtulas: ut, quod numquam factum eſse judicio defendimus, id, perinde quaſi factum ſit, noſtro judicio confirmemus. Inveniri ratio, C. Aquilli, non poteſt, ut ad ſuum quiſque quamprimum ſine cujuſquam dedecore, infamia, perniciequе perveniat? Profecto, ſi quid deberetur, peteret; non omnia judicia fieri mallet, quam unum illud, unde hæc omnia naſcuntur. Qui inter tot annos ne appellarit quidem Quinctium, cum poteſtas eſſet agendi quotidie; qui quo tempore primum male agere cœpit, in vadimoniis differendis tem-

petitoris) *petitor* dicitur in cauſſa civili, *accuſator* in criminali.

noſtro judicio) quia ſi Quinctius ſatiſdediſſet ſolus, ipſe ſe ſuo judicio condemnaſſet.

unum illud) judicium *pro ſocio* de re pecuniaria.

inter tot annos) vix biennio. Fortaſſe legendum *inter duos annos*; vel, quod ego quidem malim, *integro anno*; quo anno ſimul vixere in Gallia. Nam cum Romam rediiſſent, agere Nævius cœpit. V. in Ind. *Inter*.

male agere) petere, quod ſibi non debebatur; & ſocium ac propinquum ſuum vexare ſine cauſſa.

tempus omne conſumſerit; qui, poſtea quam vadimonium miſsum fecerit, hunc per inſidias vi de agro communi dejecerit; qui, cum de re agendi, nullo recuſante, poteſtas fuiſset, ſponſionem de probro facere maluerit; qui, cum revocetur ad id judicium, unde hæc nata ſunt omnia, conditionem æquiſſimam repudiet; fateatur, ſe non pecuniam, ſed vitam, & ſanguinem petere; is non hoc palam dicit? mihi ſi quid deberetur, peterem, atque adeo jam pridem abſtuliſsem: nihil hoc tanto negotio, nihil tam invidioſo judicio, nihil tam copioſa advocatione uterer, ſi petendum eſset; extorquendum eſt invito atque ingratiis, quod non debet; eripiendum atque exprimendum eſt; de fortunis omnibus P. Quinctius deturbandus eſt; potentes, diſerti, nobiles omnes advocandi ſunt; adhibenda vis eſt veritati: minæ jactentur; pericula intendantur; formidines opponantur; ut his rebus aliquando victus, & perterritus ipſe cedat. Quæ mehercule omnia, cum qui contra pugnent video, & cum illum conſeſsum conſidero, adeſse atque impendere videntur, neque vitari ullo modo poſse: cum autem ad te, C. Aquilli, oculos animumque retuli; quo majore conatu ſtudioque aguntur, eo leviora infirmioraque exiſtimo. * Nihil igitur debuit, ut tu ipſe prædicas. Quid, ſi debuiſset? Continuo ne cauſsa fuiſset, cur a Prætore C. XV.

tore

miſſum) quia dixerat, *ſe non vadari amplius.*

advocatione) hominum potentum, & nobilium, qui mihi adſunt.

ingratiis) velit nolit. Al. *ingratis* per Syncop.

prædicas) non verbo, ſed re.

tore poſtulares, ut bona poſſideres? Non opinor id quidem neque jus eſse, neque cuiquam expedire. Quid igitur demonſtrat? Vadimonium ſibi ait eſse deſertum. Ante quam doceo, id factum non eſse, libet mihi, C. Aquilli, ex officii ratione, atque ex omnium conſuetudine rem ipſam, & factum ſimul Sex. Nævii conſiderare. Ad vadimonium non venerat, ut ais, is, quicum tibi affinitas, ſocietas, omnes denique cauſsæ & neceſſitudines veteres intercedebant: illico ne ad prætorem ire convenit? Continuo ne verum fuit poſtulare, ut ex edicto bona poſſidere liceret? Ad hæc extrema, & inimiciſſima jura tam cupide decurrebas, ut tibi nihil in poſterum, quod gravius atque crudelius facere poſses, reſervares? Nam quid homini poteſt turpius, quid vero miſerius, aut acerbius uſuvenire? quod tantum evenire dedecus? quæ tanta calamitas inveniri poteſt? Pecuniam ſi cuipiam fortuna ademit, aut ſi alicujus eripuit injuria; tamen, dum exiſtimatio eſt integra, facile conſolatur honeſtas egeſtatem. At non nemo aut ignominia affectus,

aut

expedire) poterat enim iniquitas hæc tranſire in exemplum.

ex officii ratione) ſecundum officii jura, & bonorum virorum morem.

cauſſæ) conjunctiones. V. Ind.

verum) æquum. V. Ind.

quid vero) legit Manutius *quid viro*: ſed neutrum placet. Fortaſſe legendum *quidve*.

Pecuniam) adverte tria membra. Qui ſolam pecuniam amittit, conſolatur ſe fama ſua: qui amittit ſolam famam, conſolatur ſe ſua pecunia: qui vero utrumque amittit, miſerrimus eſt omnium etiam mortuorum. Talis porro eſt Quinctius, ſi ejus bona veneant ſub haſta ob deſertum vadimonium.

At non nemo) alterum membrum. Al. *ac non nemo*.

ignominia affectus) a cenſoribus notatus.

Digitized by Google

aut judicio turpi convictus, bonis quidem ſuis utitur, alterius opes, id quod miſerrimum eſt, non expectat; hoc tamen in miſeriis adjumento, & ſolatio ſublevatur. Cujus vero bona venierunt; cujus non modo illæ ampliſſimæ fortunæ, ſed etiam victus veſtituſque neceſsarius ſub præcone cum dedecore ſubjectus eſt; is non modo ex numero vivorum exturbatur, ſed, ſi fieri poteſt, infra etiam mortuos amandatur. Etenim mors honeſta ſæpe vitam quoque turpem exornat; vita turpis ne morti quidem honeſtæ locum relinquit. Ergo hercule cujus bona ex edicto poſſidentur, hujus omnis fama & exiſtimatio cum bonis ſimul poſſidetur: de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certe tacite obſcureque conceditur: cui magiſtri fiunt, & domini conſtituuntur, qui, qua lege & qua conditione pereat, pronuncient; de quo homine præconis vox prædicat, & pretium conficit; huic acerbiſſimum vivo videntique funus ducitur: ſi funus id haben-

turpi judicio) furti, tutelæ, &c.

Alterius opes) non indiget opibus alienis ad vitam ſuſtentandam: quod homini fama laboranti non leve ſolatium eſt.

Cujus vero) tertium membrum.

mors honeſta) puta pro ſalute patriæ.

vita turpis) locus hic mendoſus videtur. Fortaſſe legendum, *ita turpis*; vel, quod malim, *vita ita turpis*. V. Animad. IV.

exiſtimatio cum bonis) & bona amittit, & civiliter moritur.

libelli) proſcriptionis cauſſa.

magiſtri) qui bonorum venditioni præeſſent. V. Ind.

qua lege) quo pretio bona ejus veneant.

vivo videntique) *mortua quoi vita eſt prope jam vivo atque videnti*. Lucret. l. 3. 1059. *Vivus videnſque pereo*. Phœdria Terentii in Eunuch.

funus ducitur) ergo hic non poteſt vitam turpem honeſtare morte, quia moritur quodammodo ante mortem. Grute-

bendum ſit, quo non amici conveniunt ad exequias cohoneſtandas, ſed bonorum emtores, ut carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas & diſtrahendas,

C. XVI. * Itaque majores noſtri raro id accidere voluerunt; prætores, ut conſiderate fieret, comparaverunt. Viri boni, cum palam fraudantur, cum experiundi poteſtas non eſt, timide tamen & pedetentim iſtuc deſcendunt, vi ac neceſſitate coacti, inviti, multis vadimoniis deſertis, ſæpe illuſi ac deſtituti: conſiderant enim, quid & quantum ſit, alterius bona proſcribere. Jugulare civem ne jure quidem quiſquam bonus vult: mavult enim commemorare, ſe, cum poſſet perdere, peperciſſe, quam, cum parcere potuerit, perdidiſſe. Hæc in homines alieniſſimos, denique in inimiciſſimos viri boni faciunt, & hominum exiſtimationis, & communis humanitatis cauſſa; ut, cum ipſi nihil alteri ſcientes incommodarint, nihil ipſis jure incommodi cadere poſſit. Ad vadimonium non venit: quis? Propinquus. Si res iſta graviſſima ſua ſponte videretur, tamen ejus atrocitas neceſſitudinis nomine levaretur. Ad vadimonium non venit: quis? Socius. Etiam gravius aliquid ei deberes concedere, quicum te aut

terus ex Mſſ. Palatinis, & editionibus antiquis leg. *funus indicitur*.

comparaverunt) Ital. *provvidero*, *ordinarono*. V. Ind.

fraudantur) non ab inficiantibus debitum, ut putat Paſſeratius; quia contra illos agebatur tabulis & teſtibus, ſed a deſerentibus vadimonium.

poteſtas non eſt) latitante debitore, & palam fraudante creditorem.

hominum exiſtimationis) ex ratione officii & humanitatis.

cadere) accidere. V. Ind.

ſua ſponte) per ſe: quia vadimonium deſerere non eſt grave, niſi ex juris diſpoſitione.

aut voluntas congregaſſet, aut fortuna conjunxiſſet. Ad vadimonium non venit: quis? Is, qui tibi præſto ſemper fuit. Ergo in eum, qui ſemel hoc commiſit, ut tibi præſto non eſſet, omnia tela conjeciſti, quæ parata ſunt in eos, qui permulta male agendi cauſſa, fraudandique fecerunt? Si dupondius tuus ageretur, Sex. Nævi; ſi in parvula re captionis aliquid vererere; non ſtatim ad C. Aquillium, aut ad eorum aliquem, qui conſuluntur, concurriſſes? Cum jus amicitiæ, ſocietatis, affinitatis ageretur; cum officii rationem atque exiſtimationis duci conveniret; eo tempore tu non modo C. Aquillium, aut L. Lucilium, ſed ne ipſe quidem te conſuluiſti, ſed ne ipſe quidem ad te retuliſti; ne hæc quidem tecum locutus es: horæ duæ fuerunt; Quinctius ad vadimonium non venit; quid ago? Si mehercule hæc tecum duo verba feciſſes, quid ago? reſpiraſſet cupiditas atque avaritia paullulum; aliquid loci rationi & conſilio dediſſes; tu te collegiſſes; non in eam turpitudinem veniſſes, ut hoc tibi eſſet apud tales vi-

Si dupondius tuus) qui tibi provenit ex præconio. Al. *ſi dupondius unus*. Al. *Si de prædiis tuis*. V. Ind.

captionis) fraudis aut deceptionis, ex qua jactura ſequeretur. V. Ind.

concurriſſes) Al. *cucurriſſes*. V. Ind.

ſed ne ipſe quidem te conſuluiſti) hæc expungunt fere omnes ex fide veterum Mſſ. Porro ante *C. Aquillium* inſerunt *ad*.

horæ duæ) ajebat Nævius vadimonium fuiſſe factum Non. Febr. hoc eſt quinto die, ex quo Quinctius Roma egreſſus fuerat, ut eſt c. 18. Itaque ſtitit ſe illius diei horis, quibus Prætore ſedente, aſſerebat vadimonium eſſe obeundum; de quibus horis loquitur Cicero: neq; vero contrahit quatriduum in duas horas, aut in unam, ut putat Manutius, & eum ſecutus Grævius; quod non adverterint cap. 18.

viros confitendum, qua tibi vadimonium non ſit obitum, eadem te hora conſilium cepiſſe, hominis propinqui fortunas funditus evertere. C.XVII. * Ego pro te nunc hoc conſulo poſt tempus in aliena re, quod tu in tua re, cum tempus erat, conſulere oblitus es. Quæro abs te, C. Aquilli, L. Lucili, P. Quinctili, M. Marcelle, vadimonium mihi non obiit quidam ſocius, & affinis meus, quicum mihi neceſſitudo vetus, controverſia de re pecuniaria recens intercedit: poſtulo ne a prætore, ut ejus bona mihi poſſidere liceat; an, cum Romæ domus ejus, uxor, liberi ſint, domum potius denunciem? Quid eſt, quod hac tamdem de re vobis poſſit videri? Profecto, ſi recte veſtram bonitatem atque prudentiam cognovi, non multum me fallit, ſi conſulamini, quid ſitis reſponſuri: primum, expectare: deinde, ſi latitare, ac diutius ludificare videatur, amicos convenire; quærere, quis procurator ſit; domum denunciare: dici vix poteſt, quam multa ſint, quæ reſpondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam neceſſariam devenire. Quid ad hæc Nævius? Ridet ſcilicet noſtram amentiam, qui in vita ſua rationem ſummi officii deſideremus, & inſtituta bonorum virorum requiramus. Quid mihi, inquit, cum iſta ſumma ſanctimonia, ac diligentia? Viderint iſta officia viri boni, de me au-

evertere) pro *evertendi*.
hoc conſulo) Al. *hos conſulo*; deinde. *quos tu*.
expectare) ad *oportere* referendum eſt.

neceſſariam) Al. *ac neceſſariam*.
devenire) pro *deveniatur*. Duriuſculum videtur: ſed eſt Ciceronis.

autem ita conſiderent ; non quid habeam, ſed quibus rebus invenerim, quærant ; & quemadmodum natus, & quo pacto educatus ſim, memini : vetus eſt, de ſcurra multo facilius divitem, quam patremfamilias fieri poſſe. Hæc ille ſi verbis non audet, re quidem vera palam loquitur. Etenim ſi vult virorum bonorum inſtituto vivere, multa oportet diſcat, atque dediſcat : quorum illi ætati utrumque difficile eſt. * Non dubitavi, inquit, cum vadimonium de- C.XVIII.
ſertum eſſet, bona proſcribere. Improbe : verum, quoniam tu id tibi arrogas, & concedi poſtulas, concedamus. Quid, ſi numquam deſeruit ; ſi iſta cauſſa abs te tota per ſummam fraudem & malitiam ficta eſt ; ſi vadimonium omnino tibi cum P. Quinctio nullum fuit? quo te nomine appellemus? Improbum? At, etiam ſi deſertum vadimonium eſſet, tamen in iſta poſtulatione, & proſcriptione bonorum improbiſſimus reperiebare. Num malitioſum? Negas. Fraudulentum? Jam id quidem arrogas tibi, & præclarum putas. Audacem? cupidum? perfidioſum? Vulgaria, & obſoleta ſunt ; res autem nova & inaudita. Quid ergo eſt? Vereor mehercule, ne aut gravioribus utar verbis, quam natura fert, aut levioribus, quam cauſſa poſtulat.

ita conſiderent) Urſinus ex fide veteris codicis tollit duo hæc verba, & quidem recte.

quibus rebus) quibus modis, nempe illicitis.

patremfamilias) qui debet eſſe probus, & frugi.

arrogas) ut rationem humanitatis & officii tenere non debueris.

iſta cauſſa) prætextus.

Negas) Lambinus legit: *non negas*. Videtur enim imitatus Plautum in Pſeudolo a. 1. ſc. 13. verſ. 126. quem locum lege.

res autem) res hæc a te commiſſa nova eſt.

lat. Ais, eſſe vadimonium deſertum. Quæſivit a te ſtatim, ut Romam rediit, Quinctius, quo die vadimonium iſtuc factum eſse diceres: reſpondiſti ſtatim, nonis Febr. Diſcedens in memoriam rediit Quinctius, quo die Roma in Galliam profectus ſit: ad ephemeridem revertitur: invenitur dies profectionis, pridie Kal. Februarii. Nonis Febr. ſi Romæ fuit, cauſsæ nihil dicimus, quin tibi vadimonium promiſerit. Quid? Hoc inveniri qui poteſt? Profectus una L. Albius, homo in primis honeſtus; dicet teſtimonium: profecti ſunt familiares & Albii, & Quinctii; dicent hi quoque teſtimonium: litteræ P. Quinctii, teſtes tot, quibus omnibus cauſsa juſtiſſima eſt, cur ſcire potuerint, nulla cur mentiantur, cum adſtipulatore tuo comparabuntur. Et in hac ejuſmodi cauſsa P. Quinctius laborabit? Et diutius in tanto metu miſer, periculoque verſabitur? Et vehementius eum gratia adverſarii perterrebit, quam fides judicis conſolabitur? Vixit enim ſemper inculte atque horride: natura triſti ac recondita fuit: non ad ſolarium, non in campo, non in conviviis verſatus eſt: id egit, ut amicos obſervantia, rem parſimonia retineret: antiquam officii rationem dilexit, cujus ſplendor omnis his moribus obſolevit. At ſi in cauſsa pari diſcedere inferior videretur, tamen eſset non mediocriter conqueren-

in memoriam) cœpit cogitare.

in primis) Al. *cum primis*.

adſtipulatore) teſte ſtipulationis, ſeu potius calumniæ tuæ. V. Ind.

ſolarium) horologium ſolare ad roſtra, ubi homines animi cauſſa otiabantur. V. Ind.

campo) Martio, ubi ludi ſpectabantur.

rendum : nunc in cauſsa ſuperiore , ne ut par quidem ſit , poſtulat ; inferiorem ſe eſse patitur ; dumtaxat uſque eo , ne cum bonis , fama, fortunıſque omnibus Sex. Nævii cupiditati crudelitatique dedatur.

CONFIRMATIONIS

PARS II.

NÆvius non potuit poſſidere bona Quinctii ex edicto : quod probatur ex verbis ipſius edicti , quibus Quinctius comprehendi non potuit, uſque ad cap. XXIII.

* Docui, quod primum pollicitus ſum , C. C.XIX. Aquilli, cauſſam omnino, cur poſtularet , non fuiſſe ; quod neque pecunia debebatur , & ſi maxime deberetur , commiſsum nihil eſſet , quare ad iſtam rationem perveniretur . Attende nunc , ex edicto prætoris bona P. Quinctii poſſideri nullo modo potuiſse. Recita edictum. QUI FRAUDATIONIS CAUSSA LATITARIT. Non eſt is Quinctius : niſi ſi latitant, qui ad negotium ſuum , relicto procuratore, proficiſcuntur . CUI HERES NON EXTABIT. Ne is quidem. QUI EXILII CAUSSA SOLUM VERTERIT.

quo

Qui fraudationis) verba ſunt edicti.

relicto procuratore) Quinctius reliquit Alphenum.

Cui heres) qui moriens heredem non relinqueret, ejus bona poſſidebantur edicto Prætoris.

Verteris) deeſt aliquid. Non tamen auſim adſuere ex Hotomano , ac Lambino verba hæc : *Dici id non* *pot-*

quo tempore exiſtimas oportuiſse, Nævi, abſentem Quinctium defendi, aut quo modo? Tum cum poſtulabas, ut bona poſſideres? Nemo affuit. Neque enim quiſquam divinare poterat, te poſtulaturum: neque quemquam attinebat id recuſare, quod prætor, non fieri, ſed ex edicto ſuo fieri jubebat. Qui locus igitur abſentis defendendi procuratori primus datus eſt? Cum proſcribebas. Ergo affuit, non paſsus eſt, libellos dejecit Sex. Alphenus: qui primus erat officii gradus, ſervatus eſt a procuratore ſumma cum diligentia. Videamus, quæ deinde ſint conſecuta. Hominem P. Quinctii deprehendis in publico, conaris abducere: non patitur Alphenus; vi tibi adimit; curat, ut domum reducatur ad Quinctium: hic quoque ſumme conſtat procuratoris diligentis officium. Debere tibi dicis Quinctium; procurator negat: vadari vis; promittit: in jus vocas; ſequitur; judicium poſtulas; non recuſat. Quid aliud ſit abſentem defendi, ego non intelligo. At quis erat procurator? Credo aliquem ejectum hominem, egentem, litigioſum, improbum; qui poſset ſcurræ divitis quotidianum convicium ſuſtinere. Nihil minus: eques R. locu-

poteſt. Qui abſens judicio defenſus non fuerit: ne id quidem.

quod prætor, non fieri &c.) ex multis, variiſque lectionibus hæc potiſſimum nobis placuit. Eſt autem ſenſus: nemo putavit recuſandum quod Prætor fieri jubebat, non ſimpliciter, ſed ex edicto ſuo, hoc eſt ex verbis ſui edicti, quibus certe Quinctius non comprehenditur.

ejectum) abjectum. V. Ind.

ſcurræ) Nævii præconis.

convicium quotidianum) excuſat Alphenum, quod non potuerit præſto eſſe ad omnia,

cuples, ſui negotii bene gerens; denique is, quem, quoties Nævius in Galliam profectus eſt, procuratorem Romæ reliquit. * Et audes, c.xx.
Sex. Nævi, negare, abſentem defenſum eſse Quinctium, cum eum defenderit idem, qui te ſolebat? Et cum is judicium acciperet pro Quinctio, cui tu & rem, & famam tuam commendare proficiſcens & concredere ſolebas, conaris hoc dicere, neminem extitiſse, qui Quinctium judicio defenderet? Poſtulabam, inquit, ut ſatiſdaret. Injuria poſtulabas; ita videbat, recuſabat Alphenus. Ita; verum prætor decernebat. Tribuni igitur appellabantur. Hic te, inquit, teneo: non eſt iſtud, judicium pati, neque judicio defendere, cum auxilium a Tribunis petas. Hoc ego, cum attendo, qua prudentia ſit Hortenſius, dicturum eſſe eum non arbitror: cum autem antea dixiſſe audio, & cauſſam ipſam conſidero, quid aliud dicere poſſit, non reperio. Fatetur enim libellos Alphenum dejeciſſe; vadimonium promiſiſſe; judicium quin acciperet in ea ipſa verba, quæ Nævius edebat, non recuſaſſe; ita tamen, more & inſtituto per eum magiſtratum, qui auxilii

xilii

mnia, quæ Nævius agebat adverſus Quinctium.

ſui negotii bene gerens) reſpondet vulgari formulæ, *uomo che fa bene i fatti ſuoi.*

videbat) Alphenus videbat te injuria poſtulare, ideoque recuſabat. Vid. Animad. V.

Ita; verum &c.) Urget Nævius.

Tribuni) Alphenus enim auxilium petiit a Tribunis plebis; in quo accuſatur ab Hortenſio, quaſi vero judicium per eos declinare voluerit. *Turbantes jura Tribuni*, inquit Lucan. l. 1. v. 177.

judicium pati) quod Ariſtoteles dixit Polit. 5. c. 12. *ὑπομένειν δίκην.*

in ea ipſa verba) in eam formulam verborum.

ita tamen) cum eo tamen; ut ex more & inſtituto jus

 ſuum

xilii cauſſa conſtitutus eſt. Aut hæc facta non ſint, neceſſe eſt; aut C. Aquillius, talis vir, juratus, hoc jus in civitate conſtituat; cujus procurator non omnia judicia acceperit, quæ quiſque in verba poſtularit; cujus procurator a Prætore tribunos appellare auſus ſit; eum non defendi; ejus bona recte poſſideri poſſe; ei miſero, abſenti, ignaro omnia fortunarum ſuarum, omnia vitæ ornamenta per ſummum dedecus & ignominiam diripi convenire. Quod ſi probari nemini poteſt; illud certe probari omnibus neceſſe eſt, defenſum eſſe judicio abſentem Quinctium. Quod cum ita eſt, ex edicto bona poſſeſſa non ſunt. At enim tribuni pl. ne audierunt quidem. Fateor, ſi ita eſt, procuratorem decreto Prætoris R. oportuiſſe parere. Quid, ſi M. Brutus interceſſurum ſe dixit palam, niſi quid inter ipſum Alphenum, & Nævium conveniret? Videtur ne interceſſiſſe appellatio tribunorum non more, ſed auxilii cauſſa?
C. XXI. * Quid deinde fit? Alphenus, ut omnes

ſuum per Tribunos exſequeretur.

non omnia) etiam iniqua, quale erat, ut Alphenus nomine Quinctii ſatisdaret. Nemo enim debet indefenſus dici, quod iniqua judicia non acceperit, & ideo Tribunos appellarit.

Prætoris R.) *Romæ*, *vel Romani*. Eſt idem, qui Famil. lib. 10. ep. 12. dicitur *Prætor Urbis*, ſeu *Urbanus*. Niſi forte duæ litteræ PR. in vetuſtis Mſſ. inventæ, temere diviſæ ſunt, ut non unam vocem *Prætoris* redderent, ſed duas.

non more) quia objecerat Nævius, appellatos fuiſſe Tribunos, non more & inſtituto, ſed auxilii cauſſa ad eludendum judicium. *Non eſt iſtud judicium pati, neque judicio defendere, cum auxilium a tribunis petas*. Grævius habet *non moræ*, ſecutus lectionem Lambini: ideſt non cauſſa moræ, ad morandum judicium. Probarem, ſi pro *videturne*, eſſet *nonne videtur*.

omnes intelligere poſſent, judicio defendi Quinctium, ne qua ſubeſſe poſſet aliena aut ipſius officio, aut hujus exiſtimatione ſuſpicio, viros bonos complures advocat: teſtatur iſto audiente, ſe pro communi neceſſitudine id primum petere, ne quid atrocius in P. Quinctium abſentem ſine cauſſa facere conetur; ſin autem inimiciſſime, atque infeſtiſſime contendere perſeveret, ſe paratum eſſe omni recta atque honeſta ratione defendere, quod petat, non deberi: ſe judicium id, quod edat, accipere. Ejus rei conditioniſque tabellas obſignaverunt viri boni complures: res in dubium venire non poteſt: fit, rebus omnibus integris, neque proſcriptis, neque poſſeſſis bonis, ut Alphenus promittat Nævio ſiſti Quinctium. Venit ad vadimonium Quinctius: jacet res in controverſiis, iſto calumniante biennium, uſque dum inveniretur, qua ratione res ab uſitata conſuetudine recederet, & in hoc ſingulare judicium cauſſa omnis concluderetur. Quod officium, Aquilli, commemorari procuratoris poteſt, quod ab Alpheno præteritum eſſe videatur? Quid affertur, quare P. Quinctius abſens negetur eſſe defenſus? An vero id, quod Hortenſium, quia nuper injecit, & quia Nævius ſemper id clamitat, dicturum arbitror, non fuiſſe Nævio parem certationem cum Alpheno, illo tempore, illis dominantibus?

calumniante) ludificante, & trahente judicium.

biennium) annum & ſex menſes oratorie auget.

ſingulare) ſive unum, cum tamen ageretur de tot tantiſque rebus; ſive inuſitatum, ut ſuperius conqueſtus eſt.

illis dominantibus) Marianis, a quibus ſtabat Alphenus.

bus? Quod ſi velim confiteri, illud, opinor, concedent, non procuratorem P. Quinctii neminem fuiſſe, ſed gratioſum fuiſſe. Mihi autem ad vincendum ſatis eſt, fuiſſe procuratorem, quicum experiri poſſet; qualis is fuerit, ſi modo abſentem defendebat per jus & magiſtratum, nihil ad rem arbitror pertinere. Erat, inquit, illarum partium. Quid ni, qui apud te eſſet educatus: quem tu a puero ſic inſtituiſſes, ut nobili ne gladiatori quidem cederet? Sicut tu ſemper ſumme concupiſti, idem volebat Alphenus; ea re tibi cum eo par contentio erat. Bruti, inquit, erat familiaris; itaque is intercedebat: Tu contra Burrieni, qui injuriam decernebat; omnium denique illorum, qui tum & poterant per vim & ſcelus plurimum, &, quod poterant, id audebant. An omnes tu iſtos vincere volebas, qui nunc, tu ut vincas, tantopere laborant? Aude id dicere, non palam, ſed his ipſis, quos advocaſti. Tametſi nolo eam rem comme-

gratioſum) gratia valentem, quippe Marianum.

ut nobili) Nobiles enim favebant Syllæ, Hic autem ludit in verbo, cum nobilis dicatur etiam gladiator multarum victoriarum.

gladiatori) ita appellare videtur Burrienum prætorem, hominem prægrandem & robuſtum.

cederet) quia contra Burrieni decretum pugnavit, implorato auxilio Tribunitio. Al. *hæreret*.

injuriam) Al. *injuria*.

denique illorum) Marianorum. V. Animad. VI.

An omnes tu iſtos) arguit eum perfidiæ, quod tum eſſet Marianus, nec vellet Syllanos vincere, quibus ſe clam ſimulabat amicum, & ad quos poſtea victores aperte tranſiit.

quos advocaſti) *qui tuæ perfidiæ* (inquiunt Hotomanus & Merouvillius) *ſunt conſcii*. Imo vero, qui non ſunt conſcii, ideoque tibi favent in hac cauſſa. His tamen ipſis non audebis dicere, quia omnibus notum eſt, te ſecutum eſſe, non cauſſam, ſed victoriam.

memorando renovare, cujus omnino rei memoriam omnem tolli funditus ac deleri arbitror oportere. * Unum illud dico; ſi pro- C. XXII.
pter partium ſtudium potens erat Alphenus; potentiſſimus Nævius: ſi fretus gratia poſtulabat aliquid iniquius Alphenus, multo iniquiora Nævius impetrabat. Neque enim inter ſtudium veſtrum quidquam, ut opinor, interfuit; ingenio, vetuſtate, artificio tu facile viciſti. Ut alia omittam, hoc ſatis eſt: Alphenus cum iis, & propter eos periit, quos diligebat; tu, poſtquam, qui tibi erant amici, non poterant vincere; ut amici tibi eſſent, qui vincebant, effeciſti. Quod ſi tum par tibi jus cum Alpheno fuiſſe non putas, quia tamen aliquem contra te advocare poterat; quia magiſtratus aliquis reperiebatur, apud quem Alpheni cauſſa conſiſteret; quid hoc tempore Quinctio ſtatuendum eſt? cui neque magiſtratus adhuc æquus inventus eſt; neque judicium redditum eſt uſitatum; non conditio, non ſponſio, non denique ulla umquam interceſſit poſtulatio, mitto æqua, verum ante hoc tempus ne fando quidem audita. De re pecuniaria cupio contendere: non licet. At ea controverſia eſt: nihil ad me attinet; cauſſam capitis dicas, oportet. Accuſa, ubi ita neceſſe eſt:

ſtudium veſtrum) quia uterque Marianas partes ſequebatur: neque quidquam mutandum eſt, quamvis mutandum putarit Hotomanus. V. Animad. VI.

Alphenus) vel interemtus, vel proſcriptus cum Marianis.

tu poſtquam, &c.) tu ad Syllanos defeciſti.

De re) Inducit Quinctium, & Nævium altercantes.

eſt : non, inquit, niſi tu ante, novo modo, priore loco dixeris; dicendum neceſſario eſt; præſtituendæ horæ ad arbitrium noſtrum; judex ipſe arceſſetur. Quid tum? Tu aliquem patronum invenies, hominem antiqui officii, qui ſplendorem noſtrum & gratiam negligat? Pro me pugnabit L. Philippus, eloquentia, gravitate, honore florentiſſimus civitatis: dicet Hortenſius, excellens ingenio, nobilitate, exiſtimatione: aderunt autem homines nobiliſſimi ac potentiſſimi; quorum frequentiam & conſeſſum non modo P. Quinctius, qui de capite decernit, ſed quivis, qui extra periculum ſit, perhorreſcat. Hæc eſt iniqua certatio, non illa, qua tu contra Alphenum velitabaris: huic, ne ubi conſiſteret quidem contra te, locum reliquiſti. Quare aut doceas oportet, Alphenum negaſſe ſe procuratorem eſſe, non dejeciſſe libellos, judicium accipere noluiſſe: aut, cum hæc ita facta ſint, ex edicto te bona P. Quinctii non poſſediſſe, concedas.

arceſſetur) ad Prætorem, ut præſtituat horas ad arbitrium Nævii.

antiqui officii) antiquæ & probatæ fidei, magnæque idcirco auctoritatis.

L. Philippus) V. Argumentum, & Ind.

locum reliquiſti) allegoriam claudit. Tu dicis, tibi fuiſſe iniquam certationem, ideſt tibi fuiſſe iniquum locum ad certandum; at huic reliquiſti locum nullum: ſiquidem Quinctius nullam conditionem æquam obtinere potuerat.

CON-

CONFIRMATIONIS

PARS III.

N*AEvius bona Quinctii revera non poſſedit ; 1. ab effectu, quia bona non vendidit, nec ullus ex creditoribus ad hanc rationem acceſſit : effectus autem poſſeſſionis erat venditio* , uſque ad cap. XXIV. *Totum hunc locum ad partem Confirmationis ſecundam pertinere arbitrati ſunt Martinus de Cygne , & eum ubique ſecutus Merouvillius in Analyſi . Sed non probant. Alter vero etiam pugnat ſecum ipſe : nam in ſecando orationis contextu inde inchoat partem tertiam , unde nos .* 2. *quia ipſe Nævius judicavit poſſeſſa non eſſe ,* uſque ad cap. XXV. 3. *quia ſi ſaltus Gallicanus poſſeſſus eſt, aut nuncius a Nævio in Galliam miſſus confecit triduo ſeptingenta millia paſſuum, quod eſt incredibile ; aut miſſus eſt ante edictum, quod eſt improbum,* uſque ad cap. XXVII. 4. *quia aliter poſſedit, quam Prætor edixit , dejecto per vim domino* , uſque ad cap. XXVIII. 5. *quia non omnia bona poſſedit , ideoque nihil poſſediſſe putandus eſt. Tota hæc ultima ratio periit injuria temporis.*

* etenim, ſi ex edicto poſſediſti; quæro, cur bona non venierint? cur ceteri ſponſores , & creditores non convenerint ? Nemo ne fuit , cui deberet Quinctius ? Fuerunt, & complures fuerunt : ptopterea quod Cajus frater aliquantum C. XXIII.

ſponſores) quibus ſpondentibus pecuniæ Quinctio creditæ ſunt. Al. *poſſeſſores*.

tum æris alieni reliquerat. Quid ergo eſt? Homines erant ab hoc omnes alieniſſimi, & iis debebatur; neque tamen quiſquam inventus eſt tam inſigniter improbus, qui violare P. Quinctii exiſtimationem abſentis auderet. Unus fuit affinis, ſocius, neceſſarius, Sex. Nævius, qui cum ipſe ultro deberet, quaſi eximio præmio ſceleris expoſito, cupidiſſime contenderet, ut per ſe afflictum, atque everſum propinquum ſuum non modo honeſte partis bonis, verum etiam communi luce privaret. Ubi erant ceteri creditores? denique hoc tempore ubi ſunt? quis eſt, qui fraudationis cauſſa latuiſſe dicat? quis, qui abſentem defenſum neget eſſe Quinctium? Nemo invenitur. At contra omnes, quibuſcum ratio huic aut eſt, aut fuit, adſunt, defendunt: fides hujus, multis locis cognita, ne perfidia Sex. Nævii derogetur, laborant. In hujuſmodi ſponſionem teſtes daret, oportebat, ex eo numero, qui hæc dicerent: vadimonium mihi deſeruit; me fraudavit; a me nominis ejus, quod inficiatus eſſet, diem petivit; ego experiri non potui, latitavit, procuratorem nullum reliquit. Horum nihil dicitur: parantur teſtes, qui hæc dicant. Verum, opinor, viderimus, cum dixerint. Unum tamen hoc cogitent, ita ſe gra-

ves

ultro) imo, e contrario. V. Ind.

deberet) quia multa abraſerat ex bonis ſocietatis, ut eſt cap. 3.

derogetur) imminuatur. V. Ind.

ex eo numero) creditorum.

diem petivit) longiorem diem petivit ad ſiſtendum in judicio. Ital. *dimandò termini*: quod eſt eorum, qui rem ludificando trahunt. Vel petiit longiorem diem ad diſſolvendum debitum, ut placet Hotom. & Grævio.

ves eſſe, ut ſi veritatem volent retinere, gravitatem poſſint obtinere; ſin eam negligent, ita leves ſint, ut omnes intelligant, non ad obtinendum mendacium, ſed ad verum probandum auctoritatem adjuvare. Ego hæc duo quæro: primum, qua ratione Nævius ſuſceptum negocium non tranſegerit, hoc eſt, cur bona, quæ ex edicto poſſidebat, non vendiderit: deinde, cur ex tot creditoribus aliis ad iſtam rationem nemo acceſſerit: ut neceſſario confiteare, neque eorum tam temerarium quemquam fuiſse, neque te ipſum id, quod turpiſſime ſuſcepiſses, perſeverare, & tranſige-
re potuiſse. * Quid, ſi tu ipſe, Sex. Nævi, C.XXIV.
ſtatuiſti bona P. Quinctii ex edicto poſseſsa non eſse? Opinor, tuum teſtimonium, quod in aliena re leve eſset, id in tua, quoniam contra te eſt, graviſſimum debet eſse. Emiſti bona Sex. Alpheni, L. Sylla dictatore vendente: ſocium tibi in his bonis edidiſti Quinctium: plura non dico. Cum eo tu voluntariam ſocietatem coibas, qui te in hereditaria ſocietate fraudarat: & cum judicio tuo comprobabas, quem ſpoliatum fama fortuniſque omni-

ad obtinendum mendacium) ad obtinendum, ut mendacium probetur. Ital. *ad autorizzar la bugia*.

id perſeverare & tranſigere) *id* pendet a ſecundo verbo, fitque per ζεῦγμα. Non enim ſatis mihi probat Grævius, Ciceronem tribuiſſe quartum caſum verbo *perſevero*; quamvis deterioris latinitatis Auctores tribuere non dubitaverint.

id in tua) Adverte τὸ *id*, quod hoc loco redundat, ſed magnam tamen habet vim & venuſtatem.

debet eſſe) Al. *debere eſſe*.

vendente) Vendidit Sylla bona Alpheni vel interemti, vel proſcripti, quod eſſet Marianarum partium.

edidiſti) in libello editionis.

c. xxv. mnibus arbitrabare . * Diffidebam mehercule , C. Aquilli , ſatis animo certo & confirmato me poſse in hac cauſsa conſiſtere : ſic cogitabam , cum contra dicturus eſset Hortenſius , & cum eſset attente auditurus Philippus, fore , uti permultis in rebus timore prolaberer. Dicebam huic Q. Roſcio, cujus ſoror eſt cum P. Quinctio , cum a me peteret , & ſumme contenderet , ut propinquum ſuum defenderem , mihi perdifficile eſse contra tales oratores , non modo tantam cauſsam perorare, ſed omnino verbum facere conari . Cum cupidius inſtaret , homini pro amicitia familiarius dixi , mihi videri ore duriſſimo eſse, qui præſente eo geſtum agere conaretur ; qui vero cum ipſo contenderent, eos, etiam ſi quid antea recti , aut venuſti habere viſi ſunt , id amittere : ne quid mihi ejuſmodi accideret , cum contra talem artificem dicturus eſsem , me vereri . Tum mihi Roſcius & alia multa, confirmandi mei cauſsa , dixit: & mehercule, ſi nihil diceret, tacito ipſo officio & ſtudio , quod habebat erga propinquum ſuum , quemvis commoveret . Etenim ; cum artifex ejuſmodi ſit , ut ſolus dignus videatur eſse , qui in ſcena ſpectetur : tum vir ejuſmodi eſt , ut ſolus dignus videatur , qui eo non accedat . Verumtamen , quid ſi , inquit , habes ejuſmodi cauſsam, ut hoc tibi planum ſit faciendum, ne-

artificem) Hortenſium magnum dicendi artificem.

quod habebat) Manutius mallet *adhibebat* , ſed nullo ſuffragante codice.

qui eo non accedat) quia hiſtriones habiti ſunt infames l. quod ait 2. D. de his qui not. inf.

neminem eſse, qui poſſit biduo, ad ſummum triduo DCC millia paſsuum ambulare? Tamen ne vereris, ut poſſis hæc contra Hortenſium contendere? Minime, inquam. Sed quid id ad rem? Nimium, inquit: in eo cauſsa conſiſtit. Quo modo? Docet me ejuſmodi rem, & factum ſimul Sex. Nævii, quod ſi ſolum proferretur, ſatis eſse deberet. Quod abs te, C. Aquilli, & a vobis, qui adeſtis in conſilio, quæſo, ut diligenter attendatis. Profecto intelligetis, illinc ab initio cupiditatem pugnaſse & audaciam; hinc veritatem & pudorem, quoad potuerit, reſtitiſse. Bona poſtulas ut ex edicto poſſidere liceat. Quo die? Te ipſum, Nævi, volo audire: volo inauditum facinus ipſius, qui id commiſit, voce convinci. Dic Nævi diem. Ante V. Kal. intercalares. Bene agis. Quam longe eſt hinc in ſaltum veſtrum Gallicanum? Nævi te rogo. DCC millia paſsuum. Optime. De ſaltu dejicitur Quinctius: quo die? Poſsumus hoc quoque ex te audire: quid taces? Dic inquam diem. Pudet dicere; intelligo: verum & ſero, & nequidquam pudet. Dejicitur de ſaltu, C. Aquilli, pridie Kal. intercalares: biduo poſt, aut,

Nimium) pro *valde* paſſim invenitur. Al. *nimirum inquit in eo*, &c.

Ante V. Kal.) hoc eſt die quinto ante Calendas. Eſt autem idem ac ſi diceret V. Kal. utroque enim modo veteres loquebantur. Dies hic eſt XX. Februarii: quia Calendæ intercalares incidebant in diem Februarii XXIV. Solebant autem Romani in numerando comprehendere diē a quo incipiebant, & diem in quem deſinebant. Cave tibi hoc loco a Manutio. Vid. in Ind. *Intercalares*.

pridie Kal.) die XXIII. Feb.

aut, ut ſtatim de jure aliquis cucurrerit, non toto triduo DCC millia paſsuum conficiuntur. CXXVI. * O rem incredibilem! o cupiditatem inconſideratam! o nuncium volucrem! Adminiſtri & ſatellites Sex. Nævii Roma trans alpes in Sebuſianos biduo veniunt. O hominem fortunatum, qui ejuſmodi nuncios, ſeu potius Pegaſos habeat! Hic ego, ſi Craſſi omnes cum Antoniis exiſtant; ſi tu, L. Philippe, qui inter illos florebas, hanc cauſsam voles cum Hortenſio dicere: tamen ſuperior ſim neceſſe eſt. Non enim, quemadmodum putatis, omnia ſunt in eloquentia: eſt quædam tamen ita perſpicua veritas, ut eam infirmare nulla res poſſit. An, antequam poſtulaſti, ut bona poſſideres, miſiſti, qui curarent, ut dominus de ſuo fundo a ſua familia vi dejiceretur? Utrum libet elige: alterum incredibile eſt, alterum nefarium, & ante hoc tempus utrumque inauditum. DCC. millia paſsuum vis eſſe decurſa biduo? Dic: negas? Ante igitur miſiſti. Malo. Si enim illud diceres, impro-

be

ſtatim de jure) a Tribunali Prætoris ſtatim in Galliam cucurrerit. V. in Ind. *jus*. Franciſcus Junius explicans verba illa Tertulliani in Apolog. c. 4. *concurram vobiſcum*, extra rem affert hunc Ciceronis locum, legitque *ſtatim de jure aliquis concurrerit*.

Sebuſianos) Hos nunc Breſſæos dicunt. tertia hujus vocis littera modo eſt *b*, modo *c*, modo *g*.

Pegaſos) Alatos equos.

exiſtant) excitentur ab inferis, quia a Marianis militibus occiſi fuerant ſex ante annis.

eſt quædam tamen) τὸ *tamen* reſpondet membro cuidam, quod ſubauditur per figur. ellipſim: *etſi autem in ea multa ſunt, eſt quædam tamen &c.*

a ſua familia] a ſuis ſervis.

Malo) Malo reſpondeas, te ante edictum miſiſſe, ut fatearis improbitatem ejuſmodi, quæ ne mendacio quidem tegi poſſit.

be mentiri viderere : cum hoc confiteris , id te admiſiſse concedis, quod ne mendacio quidem tegere poſſis . Hoc conſilium Aquillio , & talibus viris , tam cupidum , tam audax , tam temerarium , probabitur ? Quid hæc amentia ? quid hæc feſtinatio ? quid hæc immaturitas tanta ſignificat ? Non vim ? non ſcelus ? non latrocinium ? non denique omnia potius , quam jus , quam officium , quam pudorem ? Mittis injuſsu prætoris . Quo conſilio ? Juſsurum ſciebas . Quid ? cum juſſiſset , tum mittere non ne poteras ? Poſtulaturus eras . Quando ? Poſt dies XXX. Nempe , ſi te nihil impediret ; ſi voluntas eadem maneret ; ſi valeres ; denique ſi viveres . Prætor juſſiſset . Opinor , ſi vellet ; ſi valeret ; ſi jus diceret ; ſi nemo recuſaret , qui ex ipſius decreto & ſatiſdaret , & judicium accipere vellet . Nam , per deos immortales , ſi Alphenus , procurator P. Quinctii , tibi tum ſatiſdaret , & judicium accipere vellet , denique omnia , quæ poſtulares , facere voluiſſet , quid ageres ? Revocares eum , quem in Galliam miſeras ? At hic quidem jam de fundo expulſus , jam a ſuis diis penatibus præceps ejectus , jam , quod indigniſſimum eſt , ſuorum ſervorum manibus , nuncio atque im-

pe-

cupidum) Ital. *appaſſionato* . V. Ind.

Juſſurum ſciebas) eo conſilio miſiſti , quia ſciebas , Prætorem juſſurum . Suſtuli interrogandi notam , ut membrum hoc recte cohæreret cum eo , quod ſequitur , *Poſtulaturus eras* .

Poſtulaturus eras .] habuiſti tamquam juſſum , quia poſtulaturus eras ut juberetur .

ſi nemo recuſaret] idquod Prætor juberet . Recuſare autem aliquis poterat ſatiſdando , & judicium accipiendo . V. Animad. VII.

perio tuo violatus eſſet. Corrigeres hæc ſcilicet tu poſtea. De cujuſquam vita dicere audes, qui hoc concedas neceſſe eſt, ita te cæcum cupiditate & avaritia fuiſſe, ut, cum, poſtea quid futurum eſſet, ignorares, (accidere autem multa poſſent) ſpem maleficii præſentis in incerto reliqui temporis eventu collocares? Atque hæc perinde loquor, quaſi ipſo illo tempore, cum te prætor juſſiſſet ex edicto poſſidere, ſi in poſſeſſionem miſiſſes, debueris, aut potueris P. Quinctium de poſſeſſione
C.XXVII. deturbare. * Omnia ſunt, C. Aquilli, ejuſmodi, quivis ut perſpicere poſſit, in hac cauſa improbitatem & gratiam cum inopia & veritate contendere. Prætor quemadmodum poſſidere juſſit? Opinor ex edicto. Sponſio quæ in verba facta eſt? *Ni ex edicto prætoris bona P. Quinctii poſſeſſa non ſint.* Redeamus ad edictum. Id quidem quemadmodum jubet poſſidere? Num quid eſt cauſſæ, C. Aquilli, quin, ſi longe aliter poſſedit, quam prætor edixit, iſte ex edicto non poſſederit, ego ſponſione vicerim? Nihil opinor. Cognoſcamus edictum. QUI EX EDICTO MEO IN POSSESSIONEM VENERINT. De te loquitur, Nævi, quemadmodum tu putas; ais enim, te ex edicto veniſſe; tibi, quid facias, defi-

De cujuſquam vita] &c, quemquam accuſare audes. *de poſſeſſione deturbare*] non poterat Quinctius deturbari, niſi per ſecundum decretum, poſtquam Nævius ejus bona per dies XXX. tamquam cuſtos poſſediſſet, & proſcripſiſſet. V. Animad. VIII.

Ni ex edicto] Al. *ſi ex edicto*. Utrumque recte; quia alterum declarat ſponſionem Quinctii, alterum Nævii.

VENERINT] vulgo legitur VENERIT.

definit, te inſtituit, tibi præcepta dat. EOS ITA VIDETUR IN POSSESSIONE ESSE OPORTERE. quo modo? QUOD IBIDEM RECTE CUSTODIRE POTERUNT, ID IBIDEM CUSTODIANT: QUOD NON POTERUNT, ID AUFERRE, ET ABDUCERE LICEBIT. quid tum? DOMINUM, inquit, INVITUM DETRUDERE NON PLACET. Eum ipſum, qui fraudandi cauſsa latitet; eum ipſum, quem judicio nemo defendat; eum ipſum, qui cum omnibus creditoribus ſuis male agat, invitum de prædio detrudi vetat. Proficiſcenti tibi in poſſeſſionem prætor ipſe, Sex. Nævi, palam dicit: ita poſſideto, ut tecum ſimul poſſideat Quinctius; ita poſſideto, ut Quinctio jus non auferatur. Quid? tu id quemadmodum obſervas? Mitto illud dicere, eum, qui non latitarit, cui Romæ domus, uxor, liberi, procurator eſſet; eum, qui tibi vadimonium non deſeruiſſet; hæc omnia mitto: illud dico, dominum expulſum eſse de prædio; domino a familia ſua manus allatas eſse ante ſuos lares familiares: hoc dico,

ſimul poſſideat Quinctius] *de jure* tanquam verus dominus, tu *de facto* tamquam cuſtos; ut in Animad. VIII.

jus non auferatur] quia Quinctius erat poſſeſſor *juris*, ut dictum eſt. Hotomanus ex ſuo codice legit, *vis non afferatur*, quod Grævio uſque adeo placuit, ut in contextum induxerit. Ego malui veterem lectionem retinere, manuſcriptis apud Gruterum omnibus confirmatam.

✠

PERORATIO.

IN *qua recitat per anacephalæoſim argumenta omnia Confirmationis*, uſque ad cap. xxx.

C.XXVIII. * Nævium ne appellaviſse quidem Quinctium, cum ſimul eſset, experiri poſset quotidie: deinde, quod omnia judicia difficillima cum ſumma ſua invidia, maximoque periculo P. Quinctii fieri mallet, quam illud pecuniarium judicium, quod uno die tranſigi poſſet; ex quo uno hæc omnia nata & profecta eſse concedit. Quo in loco conditionem tuli; ſi vellet pecuniam petere, P. Quinctium judicatum ſolvi ſatiſdaturum, dum ipſe, ſi quid peteret, pari conditione uteretur. Oſtendi, quam multa ante fieri convenerit, quam hominis propinqui bona poſſideri poſtularentur, præſertim cum Romæ domus ejus, uxor, liberi eſsent, & procurator æque utriuſque neceſsarius. Docui, cum deſertum eſse dicat vadimonium, omnino vadimonium nullum fuiſſe: quo die hunc ſibi promiſiſse dicat, eo die ne Romæ quidem eum fuiſse. Id teſtibus me pollicitus ſum planum facturum, qui & ſcire deberent, & cauſsam cur mentirentur, non ha-

✠] Quintum argumentum hoc loco deſideratur, quod tamen colligitur ex anacephalæoſi, quæ ſtatim ſequitur.

experiri] lege agere.

conditionem tuli] obtuli.

dum ipſe] Quinctius mutuam ſatiſdationem a Nævio obtineret, ſi quid & ipſe ab eo peteret.

bona poſſideri poſtularentur] conſtructio hæc animadverſione digna eſt.

haberent. Ex edicto autem non potuiſse bona poſſideri, demonſtravi: quod neque fraudandi cauſa latitaſset, neque exilii cauſa ſolum vertiſse diceretur. Reliquum eſt, ut eum nemo judicio defenderit: quod contra copioſiſsime defenſum eſse contendi, non ab homine alieno, neque ab aliquo calumniatore atque improbo, ſed ab equite R. propinquo & neceſſario ſuo, quem ipſe Sex. Nævius procuratorem relinquere antea conſueſset: neque eum, ſi tribunos appellarit, iccirco minus judicium pati paratum fuiſse, neque potentia procuratoris Nævio jus ereptum: contra, iſtum potentia ſuá tum tantummodo ſuperiorem fuiſse, nunc nobis vix reſpirandi poteſtatem dare. * Quæſivi, quæ cauſa fuiſset, cur bona non veniſſent, cum ex edicto poſſiderentur. Deinde illud quoque requiſivi, qua ratione ex tot creditoribus nemo neque tum idem fecerit, neque nunc contradicat, omneſque pro P. Quinctio pugnent, præſertim cum in tali judicio teſtimonia creditorum exiſtimentur ad rem maxime pertinere. Poſtea ſum uſus adverſarii teſtimonio, qui ſibi eum nuper edidit ſocium, quem, quo modo nunc intendit, ne in vivorum quidem numero tum demonſtrat fuiſſe. Tum illam incredibilem celeritatem, ſeu potius audaciam protuli: confirmavi, neceſſe eſſe aut biduo DCC. millia paſſuum eſſe decurſa, aut Sex. Nævium diebus compluribus ante in poſſeſſionem miſiſſe, quam poſtularet, ut ei liceret bona poſſidere. Poſtea recitavi edictum, quod aperte dominum de prædio detrudi vetaret: in quo conſtitit, Nævium ex edicto non

poſsediſse, cum confiteretur ex prædio vi detruſum eſse Quinctium. Omnino autem bona poſseſsa non eſse conſtitui, quod bonorum poſſeſſio ſpectetur non in aliqua parte, ſed in univerſis, quæ teneri ac poſſideri poſſint. Dixi, Romæ domum fuiſse, quo iſte ne aſpirarit quidem; ſervos complures, ex quibus iſte poſsederit neminem, ne attigerit quidem: unum fuiſſe, quem attingere conatus ſit; prohibitum fuiſſe, quieviſse. In ipſa Gallia cognoſtis in prædia privata Quinctii Sex. Nævium non veniſse: denique ex hoc ipſo ſaltu, quem, per vim expulſo socio, poſsedit, ſervos privatos Quinctii non omnes ejectos eſse. Ex quo, & ex ceteris dictis, factis, cogitatiſque Sex. Nævii quivis poteſt intelligere, iſtum nihil aliud egiſse, neque nunc agere, niſi uti per vim, per injuriam, per iniquitatem judicii totum agrum, qui communis eſt, ſuum facere poſſit.

AMPLIFICATIO

In qua movet miſericordiam in Quinctium, invidiam in Nævium, uſque ad finem.

C. XXX. * Nunc, cauſsa perorata, res ipſa, & periculi magnitudo, C. Aquilli, cogere videtur; ut te, atque eos, qui tibi in conſilio ſunt, obſecret

non in aliqua parte) jure veteri nemo poterat edicti beneficio gaudere, niſi univerſa bona poſſediſſet. Vide leg. 1. D. quibus ex cauſſis; & Balduinum ad lib. 3. Inſt. tit. 12. de ſucceſſ. ſubl. Sublatum eſt hoc jus per novellam 53.

aſpirarit) de qua ne cogitarit quidem.

Nunc cauſſa perorata) ſola concluſione, ſeu anacephalæoſi conſtare Perorationem

cret obteſteturque P. Quinctius per ſenectutem ac ſolitudinem ſuam, nihil aliud, niſi ut veſtræ naturæ bonitatique obſequamini: ut, cum veritas cum hoc faciat, plus hujus inopia poſſit ad miſericordiam, quam illins opes ad crudelitatem. Quo die ad te judicem venimus, eodem die illorum minas, quas ante horrebamus, negligere cœpimus. Si cauſa cum cauſa contenderet, nos noſtram perfacile cuivis probaturos ſtatuebamus. quod vitæ ratio cum ratione vitæ decertaret, iccirco nobis etiam magis te judice opus eſse arbitrati ſumus. Ea res enim nunc in diſcrimen verſatur, utrumne poſſit ſe contra luxuriam ac licentiam, ruſticana illa atque inculta parſimonia defendere; an deformata atque ornamentis omnibus ſpoliata, nuda cupiditati petulantiæque addicatur. Non comparat ſe tecum gratia P. Qunctius, Sex. Nævi, non opibus, non facultate contendit: omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit. Fatetur ſe non belle dicere, non ad voluntatem lo-

nem Cicero putat. Dixerat enim in fine Partitionis, *hac tria cum docuero, perorabo*; nunc vero jam ait, *cauſſam eſſe peroratam*: quod eſt maxime advertendum. Alii, qui in hac ſententia fuerunt, ut amplificationem a peroratione excluderent, ideo fuerunt, quod affectus movendos non putarent, ut eſt apud Quinctil. l. 6. c. 1. Ariſtoteles Rhet. l. 3. c. ult. partes quatuor perorationi tribuit, & ex his poſtremum locum anacephalæoſi. Cicero noſter in 2. de orat. c. 19. refert opinionem eorum, qui amplificationem admittunt, non tamquam perorationis partem, ſed tamquam egreſſionem a cauſſa, quæ perorationem antecedat. Hoc loco amplificatio & a peroratione diſtinguitur, & eam conſequitur.

in diſcrimen) Al. *in diſcrimine*.

ruſticana) Quinctii.

ad voluntatem) πρὸς χάριν, quod eſt adulatorum.

loqui poſse, non ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam devolare, non profuſis ſumtibus vivere, non ornare magnifice ſplendideque convivium, non habere domum clauſam pudori & ſanctimoniæ, patentem, atque adeo expoſitam cupiditati & voluptatibus: contra, ſibi officium, fidem, diligentiam, vitam omnino ſemper horridam atque aridam cordi fuiſse: iſta ſuperiora eſse, ac plurimum poſse his moribus, ſentit. Quid ergo eſt? Non uſque eo tamen, ut in capite fortuniſque hominum honeſtiſſimorum dominentur ii, qui, relicta bonorum virorum diſciplina, & quæſtum & ſumptum Gallonii ſequi maluerunt, atque etiam, quod in illo non fuit, cum audacia perfidiaque vixerunt. Si licet vivere eum, quem Sex. Nævius non vult; ſi eſt homini honeſto locus in civitate, invito Nævio; ſi fas eſt reſpirare P. Quinctium contra nutum ditionemque Nævii; ſi, quæ pudore ornamenta ſibi peperit, ea poteſt contra petulantiam te defendente obtinere; ſpes eſt, & hunc miſerum atque infelicem aliquando tandem poſſe conſiſtere. Sin & poterit Nævius id, quod libet, & ei libebit, quod non licet, quid agendum eſt? qui Deus appellandus eſt? cujus hominis fides imploranda

C.XXXI. eſt? qui denique queſtus, qui mœror dignus inveniri calamitate tanta poteſt? * Miſerum eſt, exturbari fortunis omnibus: miſerius eſt, injuria. Acerbum eſt, ab aliquo circumveniri: acer-

transfugere) a Marianis ad Syllanos, quod fecit Nævius.

Gallonii) fuit præco, ut Nævius, ſed in gulæ vitia turpiſſime profuſus. V. Ind.

acerbius, a propinquo. Calamitoſum eſt, bonis everti: calamitoſius, cum dedecore. Funeſtum eſt, a forti, atque honeſto viro jugulari: funeſtius, ab eo, cujus vox præconio quæſtu proſtitit. Indignum eſt, a pari vinci, aut ſuperiore: indignius, ab inferiore, atque humiliore. Luctuoſum eſt, tradi alteri cum bonis: luctuoſius, inimico. Horribile eſt, cauſſam capitis dicere: horribilius, priore loco dicere. Omnia circumſpexit Quinctius, omnia periclitatus eſt, C. Aquilli: non prætorem modo, a quo jus impetraret, invenire non potuit, atque adeo ne unde arbitratu quidem ſuo poſtularet; ſed ne amicos quidem Sex. Nævii, quorum ſæpe & diu ad pedes jacuit ſtratus, obſecrans per deos immortales, ut aut ſecum jure contenderent, aut injuriam ſine ignominia ſibi imponerent. Denique ipſius inimici vultum ſuperbiſſimum ſubiit: ipſius Sex. Nævii lacrymans manum apprehendit, in propinquorum bonis proſcribendis exercitatam: obſecravit per fratris ſui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipſius conjugem & liberos, quibus propior P. Quinctio nemo eſt, ut aliquando miſericordiam caperet; aliquam, ſi non propinquitatis, at ætatis ſuæ, ſi non hominis, at humanitatis rationem haberet; ut ſecum aliquid,

unde arbitratu &c.) non invenit a quo peteret judicii formulam ex ſententia; coactus eſt enim contendere de probro, cum ipſe mallet de pecunia.

jure contenderent) non potentia.

fratris ſui) C. Quinctii, qui ſocius & amicus Nævii fuerat.

ipſius conjugem) Quinctii conſobrinam, ut dicitur cap. 4.

quid, integra ſua fama, qualibet, dummodo tolerabili, conditione tranſigeret. Ab ipſo repudiatus, ab amicis ejus non ſublevatus, ab omni magiſtratu agitatus atque perterritus, quem præter te appellet, habet neminem: tibi ſe, tibi ſuas omnes opes fortunaſque commendat; tibi committit exiſtimationem, ac ſpem reliquæ vitæ: multis vexatus contumeliis, plurimis jactatus injuriis, non turpis ad te, ſed miſer confugit. E fundo ornatiſſimo dejectus, ignominiis omnibus appetitus, cum illum in ſuis paternis bonis dominari videret, ipſe filiæ nubili dotem conficere non poſſet, nihil alienum tamen vita ſuperiore commiſit. Itaque te hoc obſecrat, C. Aquilli, ut, quam exiſtimationem, quam honeſtatem in judicium tuum prope acta jam ætate decurſaque attulit, eam liceat ei ſecum ex hoc loco efferre; ne is, de cujus officio nemo umquam dubitavit, ſexageſimo denique anno dedecore, macula, turpiſſimaque ignominia notetur; ne ornamentis ejus omnibus Sex. Nævius pro ſpoliis abutatur: ne per te ferat, quo minus, quæ exiſtimatio P. Quinctium uſque ad ſenectutem perduxit, eadem uſque ad rogum proſequatur.

decurſa) excurſa, ſumta metaphora a curſu ludorum Circenſium. Sic Tuſcul. 1. c. 8. *Ad calcem decurrere*.

ferat) ne Nævius obtineat. Plaut. in Merc. a. 2. ſc. 3. *quod poſces, feres*. Paſſeratius ſuſpicatur legendum *fiat*.

EVEN-

EVENTUS.

Scribit Gellius (inquit Merouvillius) *liberato Quinctio, ſua eloquentia fructum tuliſſe Ciceronem.* Sed cave, homini credas: ego enim nihil tale uſquam apud Gellium invenire potui.

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES
AD ORATIONEM
PRO P. QUINCTIO.
ANIMAD. I.
Ad CAP. 1. In Adnotationes Grævii.

QUi *hanc cauſſam, Aquilli, aliquoties apud te egit*) Apparet aliquoties ampliatam hanc cauſsam fuiſse, quod etiam infra ſignificat. *Nec illud*, inquit, *mihi arrogabo, me poſſe cauſſam commodius demonſtrare, quam antea demonſtrata ſit*. Item, *& ab illo*, inquit, *qui ante dixit, informata jam cauſſa eſt*. Hæc *Hotomanus*.

Interpretationem hanc ſumſit a Manutio, ab eo deinde Freigius, poſtremo Grævius. Non facile probabitur ab eo, qui legat, ac ſerio perpendat Ciceronis verba cap. 10. *Inſtat Hortenſius, ut eas in conſilium; a me poſtulat, ne dicendo tempus abſumam: queritur, priore patrono cauſſam defendente, nunquam perorari potuiſſe: non patiar iſtam manere ſuſpicionem, nos rem judicari nolle*. Ergo M. Junius aliquoties cauſſam egerat, & Cicero rurſus agebat, quod nondum *perorari potuiſſet*, quod nondum Aquillius *iſſet in conſilium*, quod *tempus dicendo eſſet abſumtum:* itaque ſuſpicio erat, Quinctium, & Quinctii patronos *rem judicari nolle*. Hinc ſatis, opinor, manifeſte conſtat, cauſſam non fuiſſe *ampliatam*. Non enim poterat *ampliari*, niſi Judices iviſſent in conſilium, & rem judicaſſent. Tunc enim per tabellas *N. L.* hoc eſt *Non liquet*, pronunciabatur, cauſſam *amplius* eſſe cognoſcendam. Hinc Sigonius de Jud. l. 2. c. 22. *Ampliatio ex incerta Judicum ſententia nata eſt*. Ad hæc Aſconius l. 1. in Verrem c. 9. de Ampliatione. *Ea pars, interpoſita dilatione, dicebat, in cujus peroratione videbatur obſcuritas*. Atqui ex loco Ciceronis allato hæc cauſſa, *priore patrono defendente, numquam perorata eſt*. Igitur neque ampliata.

Lo-

Loca porro duo, quæ aſſeruntur ab Hotomano, nihil efficiunt; confirmant enim, cauſſam prius dictam fuiſſe a M. Junio, non autem a Judice *ampliatam*. Sed profecto deceptus non fuiſſet vir ceteroquin ſubtiliſſimi ingenii, ſi verba ex cap. 10. modo allata, *priore patrono*, conſideraſſet. Cum enim procul dubio referantur ad M. Junium, qui prior patronus fuit, ipſe ita explicuit, *patrono cauſſam dicente priore loco*. Itaque perperam his ipſis verbis uſus eſt in Argumento orationis ad oſtendendam iniquitatem Prætoris, qui juſſerat reum priore loco dicere. Hinc vides cavendum tibi eſſe etiam a Franciſco Polleto, qui de Foro Rom. l. 1. c. 12. hæc habet. *Pro Cæcina bis ante acta erat, & bis ampliatus reus propter juris obſcuritatem, ex qua dubitabant Judices, moramque faciebant, ait Cicero: quod idem accidit in cauſſa P. Quinctii*.

ANIMAD. II.

Ad CAP. VIII. In Adnotationes Grævii.

Decernit) Moris erat, ut prius *juberet* Prætor, poſtea *decerneret*: adverſus *juſſum* recuſare licebat, adverſus *decretum* non licebat. Sed hoc loco *decernit* invidioſe pro *jubet*, ad decernendum ſe comparat, poſuit. *Hotomanus*.

Diſcrimen iſtud inter *jubere*, ac *decernere* niſi Hotomanus probet, peto hanc veniam, ut quod verbo ille ait, nobis verbo negare liceat. Cicero hoc loco promiſcue utitur verbis *jubeo*, ac *decerno*; nec ullo modo neceſſe eſt invidioſam hanc κατάχρησιν inducere.

Adde huc, quod ſi Cicero ex Hotomani ſententia uſus eſſet verbo *decernere* ad invidiam, cum nondum revera *decreviſſet* Dolabella, ſed tantum *juſſiſſet*, multo magis uſus eſſet verbo *decernere*, cum Dolabella revera *decrevit*, ac litigatores dimiſit. Atqui verbum *jubere* adhibuit: *Aut ſatiſdare, aut ſponſionem jubet facere; & interea recuſantes noſtros advocatos acerrime ſubmoveri*. Ergo nullum eſt hoc loco excogitandum diſcrimen inter hæc duo verba.

ANIMAD. III.

Ad CAP. IX.

In comment. Merouvillii ad uſum Delphini.

P*Riore loco*) Peſſima conditio fuit Quinctii; nam quaſi reus cauſſam priori loco dicere cogitur. Moris enim fuit, ut reus priori loco, poſteriori actor, ſive accuſator cauſſam diceret. Hæc *Merouvillius*.

Non eſt, cur laborem in refellenda commentatione hac. Satis eſt Ciceronis verba, quæ hoc ipſo cap. 9. habentur, afferre. *Cum majores ita conſtituerint, ut qui pro capite diceret, is poſteriore loco diceret: nos inaudita criminatione accuſatorum priore loco cauſſam dicere intelligis*. Dolet igitur Orator, Quinctio impoſitam eſſe conditionem prorſus iniquam, ut quamvis reus eſſet, quippe de ejus fortunis & fama agebatur, tamen priore loco diceret ex vi ſponſionis, quam facere juſſus erat. Moris enim fuit, quemadmodum hodie quoque moris eſt, ut actor priore loco diceret, reus poſteriore. Non erat opus in re apertiſſima lectorem monere. Monere tamen volui, ut adverteret, quam facile Interpres hic ea pronunciet, quæ notiſſimum judiciorum ordinem, & Romanam eruditionem perturbant.

ANIMAD. IV.

Ad CAP. XV.

M*Ors honeſta ſæpe vitam quoque turpem exornat; vita turpis ne morti quidem honeſtæ locum relinquit.*) Quomodo, M. Tulli, mors honeſta poteſt vitam turpem exornare, ſi vita turpis locum honeſtæ morti non relinquit? Equidem non auſim cum Grævio Ciceronem reprehendere, ejuſque ſententiam tamquam inanem ac declamatore dignam condemnare. Potius cum Hotomano men-

do-

doſtum locum hunc exiſtimo ; nec idem tamen remedium adhibeo. Ille enim ita repoſuit: *Vita hæc turpis ne morti quidem obſcura locum relinquit*. Quæ mutatio fortaſſe nimia eſt, nec omnino ad rem. Ego ſic malim: *Vita ita turpis &c.* Facile enim fieri potuit, ut librarii trium illarum litterarum concurſum, veluti vanam repetitionem averſati, vocem *ita* ſuſtulerint. Simile aliquid in orat. pro Roſc. Am. c. 9. contigiſſe contendit Lambinus ad verba illa, *bonorum emtio, flagitioſa poſſeſſio*. cum legendum ſit, *emtio flagitioſa, flagitioſa poſſeſſio*. Erit itaque ſenſus: *vita ita turpis*, qualis a me deſcripta modo eſt, qualiſque erit vita Quinctii, ſi condemnabitur, *nè morti quidem honeſtæ locum relinquit*. Quia qui ita vivit, jam inter mortuos numeratur: *huic* enim *acerbiſſimum vivo videntique funus ducitur*.

ANIMAD. V.

Ad CAP. XX.

ITa *videbat*,) Non putavi poſſe me locum hunc certe vitiatum fidei ſuæ nova conjectura reſtituere, niſi prius rationem aliquam reddidiſſem.

Cum itaque in libris vulgatis omnibus legeretur *videbare*, cui voci hoc loco nulla certa ſententia ſubeſt, putarunt interpretes omnes ſibi divinandum. Manutius probat *jubebat pr.* Hotomanus, Lambinus, Grævius, & Merouvillius *jubebare*. Freigius *jubebatur*. Exiſtimant autem omnes, hæc verba eſſe Nævii urgentis adverſarium. Sed præterquamquod nimiam mutationem nullo certo fundamento inducunt, illud inſuper accedit incommodi, quod ea, quæ ſtatim ſequuntur, *verum prætor decernebat*, nihil novi habent, & videntur quodammodo gratis addi.

Juvit me quoque divinare aliquid, & quidem, ut mihi perſuadeo, non valde abſonum. Lego igitur: *Ita videbat*. verba autem hæc non Nævio, ſed Ciceroni tribuo; quo mihi videntur tricæ omnes conſtructionis & ſenſus facile expediri. Primum enim Nævius ait: *Poſtulabam ut ſatiſdaret*. Reſpondet Cicero: *Injuria poſtulabas: ita videbat, recuſabat Alphenus*. Urget Nævius: *Ita; verum Prætor decernebat*. Reponit Cicero: *Tribuni igitur appellabantur*. Facillime porro fieri potuit, ut vocem *videbat* librarii auxerint ſyllaba *re*, qua incipit vox conſequens *recuſabat*. Aci-

cidit enim ſæpe in veteribus MSS., ut una eademque li-tera, vel etiam ſyllaba priorem vocem abſolvat, & ſimul poſteriorem inchoet: unde natum illud pro Roſc. Am. c. 40. *a gladiatore ceſſiſſe* pro *a gladiatore receſſiſſe*, ut legendum putant Gruterus, & Grævius. Adde ſimilitudinem figuræ, quæ intercedit inter *s*, & *r*, unde mendæ frequentiſſimæ oriri ſolent.

ANIMAD. VI.

Ad CAP. XXI.

O*Mnium denique illorum, qui tum & poterant per vim, & ſcelus plurimum, & quod poterant, id audebant.* Omnes Interpretes, qui locum hunc attigerunt, putant hæc verba ad Nobiles Syllanos eſſe referenda, quod Nævius Syllanarúm partium eſſet, quemadmodum Alphenus Marianarum. Sed cum hoc affirmarunt, quam deinde laborant, ut oſtendant, Syllanos tunc plurimum potuiſſe, cum revera Mariani dominarentur, ſicut paullo ante affirmavit Cicero, & conſtat ex hiſtoria! Hotomanus conatur aliquid ex veriſimili, ſed certe non feliciter: Merouvillius omnia ab eo mutuatur: ceteri ne verbum quidem. Sed ut exeant ex his anguſtiis, ex illis certe quidem non exeunt, quas offendunt in membro ſtatim conſequente: *An omnes tu iſtos vincere volebas*, &c.? Non enim apparet, quomodo huc tranſeat Orator; & quare deinde ſubdat: *aude id dicere*, &c. Quare hærens Hotomanus ait:
„ Sed quid illud erit, quod infert, *aude id dicere,*
„ *non palam, ſed his ipſis,* &c? *Nolebas* igitur lega-
„ mus, ſi modo ſenſum aliquem elicere volumus.
Cum vero ad illa verba devenit, *Tametſi nolo* &c. rurſus incertus animi, conſiderari jubet locum, ut judicetur, ſatis ne ſententia cohæreat.

Ego itaque refero verba illa, *omnium denique illorum*, ad Marianos, quaſi dicat Orator: Tu familiaris eras Burrieni, & omnium Marianorum, qui tum dominabantur, & plurimum audebant. Erat enim eo tempore etiam Nævius Marianus, ſed poſtea per ſummam perfidiam tranſiit ad victores Syllanos, ut colligitur ex cap. 22. *Tu, poſtquam, qui tibi erant amici, non poterant vincere; ut amici tibi eſſent, qui vincebant, effeciſti*. Ecce igitur quare ſtatim

tim dicat; *An omnes tu iſtos vincere volebas*, &c.? *Aude id dicere* &c. Hoc eſt, tu nolebas, nobiles iſtos Syllanos victoriam de Marianis referre; nec palam audebis contrarium dicere, quia nos te perfidiæ ac mendacii arguemus. Adde huc verba illa ex cap. 22. *Neque enim inter ſtudium veſtrum quidquam, ut opinor, interfuit*. ideſt uterque veſtrum ſtudebat Marianis. Quem locum interpretationi ſuæ adverſari intelligens Hotomanus, variam lectionem commentus eſt, repoſuitque *aliud* pro *quidquam*. Ita belle Ciceronem ad ſententiam ſuam, non ſe ad Ciceronis ſententiam accommodat.

AMIMAD. VII.

Ad CAP. XXVI.

P*Rætor juſſiſſet. Opinor, ſi vellet, ſi valeret, ſi jus diceret, ſi nemo recuſaret, qui ex ipſius decreto & ſatiſdaret, & judicium accipere vellet*. Lambinus, invitis omnibus libris, corrigit: *ſi nemo recuſaret, quin* &c. quod ita poſtulet, inquit, Latini ſermonis conſuetudo. Lambinum ſequitur Paſſeratius; utrumque Grævius.

Quid ſi mutatio hæc ſententiam totam depravat? Ita nobis quidem videtur. Prætor enim juſſiſſet bona Quinctii poſſideri, ſi nemo eſſet, qui ſatiſdando recuſaret, atque impediret, quod jubebatur.

Quod ſi legamus: *Prætor juſſiſſet, ſi nemo recuſaret, quin ſatiſdaret* &c. Senſus hinc omnino contrarius exiſtit, valetque idem, ac ſi diceretur, *Prætor juſſiſſet, ſi aliquis vellet ſatiſdare, ac judicium accipere*: quo ſane nihil poteſt excogitari abſurdius. Eatenus enim bona debitoris latitantis poſſidebantur Prætoris edicto, quatenus nemo erat, qui ſatiſdaret, & pro illo judicium acciperet.

Porro non eſt, cur Lambinus nobis objiciat conſuetudinem loquendi. In hac enim ipſa oratione cap. 19. verbum *recuſo* eodem fere modo adhibetur: *Neque quemquam attinebat id recuſare, quod Prætor, non fieri, ſed ex edicto ſuo fieri jubebat*.

Ipſa enimvero Lambini lectio videtur eſſe præter latini ſermonis conſuetudinem. Non enim recte dixerim: *ſi nemo recuſaret, quin ſatiſdare vellet*; ſed, *ſi nemo recuſaret, quin ſatiſdaret*. Siquidem ſatis apparet, eum velle, qui non recuſat. Quod cum ipſe quoque animadvertiſſet, co-

Digitized by Google

natus eſt ſubmovere τὸ *vellet*. Sed profecto nimis multa ſibi licere arbitratur.

ANIMAD. VIII.

Ad CAP. XXVI. & XXVII.

ATque hæc perinde loquor, quaſi illo ipſo tempore, cum te Prætor juſſiſſet ex edicto poſſidere, ſi in poſſeſſionem miſiſſes, debueris, aut potueris P. Quinctium de poſſeſſione deturbare. Locus eſt difficillimus, quem Interpretes omnes declinarunt, præter unum Hotomanum; a quo tamen ipſo ego cogor diſcedere, etſi non libenter faciam in re præſertim Legali.

In hujuſmodi igitur cauſſis duplex interveniebat Prætoris decretum, quorum unum dicebatur *primum*, alterum *ſecundum*; per illud Prætor *mittebat in poſſeſſionem*, per hoc *jubebat poſſidere*, l. ſi finita 15. D. de damno inf. quæ tamen duæ loquendi formulæ promiſcuæ habentur præſertim ab Oratoribus. Primum porro decretum dabatur cuſtodiæ cauſſa, quod conſtat tum ex verbis ipſius decreti, quæ infra habentur apud Ciceronem, tum ex l. 12. D. quibus ex cauſſ. *Cum bona poſſidere Prætor permittit, non poſſidemus, ſed magis cuſtodiam rerum & obſervantiam nobis concedit*. *Secundum* dabatur veræ poſſeſſionis ac venditionis gratia; quique ex illo poſſidebat, poſſeſſor *juris* dicebatur, quemadmodum alter poſſeſſor *facti*, ut eſt in l. 3. §. ultimo, D. de acquir. poſſ. Ergo Nævius, qui nondum obtinuerat, niſi *primum* decretum, non poterat Quinctium de bonis ſuis detrudere; ſed una cum illo poſſidere debebat tamquam cuſtos, donec propoſitis per xxx dies libellis, & a nemine dejectis, *ſecundum* decretum poſtularet ad Quinctiana bona vere poſſidenda ac vendenda.

Quid in rem hanc Hotomanus? *His in cauſſis*, inquit, *quibus ob latitationem datur poſſeſſio, unum decretum interponi ſolitum, Ulpianus in l. Fulcinius 7. D. quibus ex cauſſ. in poſſ. manifeſto declarat*. Itaque ad ea verba Ciceronis, QUI FRAUDANDI CAUSSA LATITET, *Hæc*, inquit, *ex artificio Rhetorico, non ex jure civili depromta eſſe paullo ante monui. Repugnat enim vendi latitantis bona licere, & detrudi eum non licere*.

Atqui impudens ſane Rhetoricum artificium, per quod ſibi licere putat M. Tullius tam diſerte atque explicate lo-

qui

qui contra veritatem, contra leges, contra verba edicti, coram hoc Judice, hiſque adverſariis. Jam vero nihil erit in poſterum, quod artificio Rhetorico excuſari non poſſit. Sed ſi nihil aliud, quam lex *Fulcinius* perſuaſit Hotomano in hujuſmodi cauſſis latitationis per *primum* decretum bona poſſideri vendique potuiſſe, ideoque *ſecundum* non fuiſſe neceſſarium, gratulor Ciceroni, ſalva res eſt. Brunnemanus enim ad hanc legem ſcribit: *In* §. 1. *incipit Juriſconſultus agere de ſecundo decreto, de quo etiam omnes paragraphi ſequentes in hac lege ſunt intelligendi*. Excipe ultimum, ad quem Bartolus: *Propter nimiam contumaciam poteſt Prætor decernere, ut ex primo decreto miſſus fructus lucretur*. Nimiam autem contumaciam ita interpretatur Brunnemanus, ſi dominus latitans dicat v. g. ſe nolle venire.

Quomodo ergo, Hotomane, lex *Fulcinius* ſententiam tuam *manifeſto declarat*? Num quia nulla mentio eſt neque decreti *primi* neque *ſecundi*, ſed poſſeſſionis & venditionis ſimul? Opportune occurrit Amadæus Echoltius in Pandect. l. 39. t. 2. n. x. *Hæc diſtinctio primi, & ſecundi decreti, præterquam in cauſſa damni infecti, etiam in aliis materiis juri noſtro cognita eſt. Quamvis enim in aliis cauſſis ſecundi decreti mentio non fiat, rem tamen ipſam ſubeſſe negari non poteſt.*

Quid vero ſi ipſe ſibi contraria dixit Hotomanus? Ita nimirum in comment. ad tit. c. de Jud. l. 11. ubi hæc habet: *Primum decretum dicebatur, quo creditores dies* XXX *bona poſſidebant, ut Cicero in Quinctiana demonſtrat .... cujus alia vis nulla eſt, niſi ut eas res cuſtodire liceat*. Poſt hæc mentionem facit decreti *ſecundi*: quodque valde mireris, addit etiam *tertium* contra communem Juriſconſultorum opinionem. Qua de re nihil ad nos; modo in præſentia concedat, Ciceronis verba Juri Civili non repugnare.

ANIMADVERSIO IX.

In Interpretationem Italicam

LUDOVICI DOLCE

Editam Venetiis 1562. *Typis Gabrielis Joliti.*

In CAP. I.

QUæ (*diligentia*) quanta ſit, niſi tempus, & ſpatium datum ſit, intelligi non poteſt.

DOLCE pag. 2. *La quale ſe non per via di tempo, e di conſiderazione non può aver luogo.*

Ego ita malim. *La quale non ſi può moſtrare di che tempera ſia, ſe non ſi abbia tempo, e ſpazio da eſercitarla.*

In CAP. IV.

Per te, C. Aquilli, decidit P. Quinctius, quod liberis ejus diſſolveret.

DOLCE pag. 4. *Ottenne P. Quinzio da te C. Aquillio, ch' ei doveſſe pagare il debito a' figliuoli.*

Ego ita malim. *Tu decideſti, C. Aquillio, quanto P. Quinzio doveſſe pagare ai figliuoli di lui.* Non enim erat controverſia, cui eſſet ſolvendum, ſed quantum eſſet ſolvendum, propter varietatem pecuniæ Gallicæ, & Romanæ. Cum enim Quinctius deberet Scapulis ex rationibus Gallicis, non ſatis commode inter eos convenire poterat, quid potiſſimum ad denarium Romanum ſolveretur. Res ad Aquillium arbitrum deducta eſt, & per eum confecta.

In CAP. VI.

Ante diem II. Kal. Februarii.

DOLCE pag. 5. *avanti ai* XXIX *di Gennajo.*

Si interpres hic ab iis ſtat, qui legunt *ante diem* IV *Kalendas*, reputet, modum hunc loquendi apud veteres eumdem eſſe ac IV. *Kal.* ideoque verti debere *ai* 29. dem-

to

to *avanti*. Sed quis non videt legendum eſſe *ante diem* II. *Kal.* cum Manutio, Hotomano, Lambino, & aliis propter verba, quæ infra habentur: *Invenitur dies profectionis prid. Kal.*? Itaque vertendum: *al* XXXI *di Gennajo*: nam idem eſt dicere *ante diem* II. *Kal.* ac II. *Kal.* ſeu *prid. Kal.*

IBIDEM. Pueros circum amicos dimittit.

DOLCE pag. 6. *Fece allogare i ſervi preſſo a diverſi amici*.

Ego ita malim. *Manda intorno i ſervi per li ſuoi amici*. Miſit enim pueros corrogantes amicos, ut poſtridie ad tabulam Sextiam ſibi adeſſent.

In CAP. XIV.

Qui cum revocetur ad judicium, unde hæc nata ſunt omnia, conditionem æquiſſimam repudiet; fateatur, ſe non pecuniam, ſed vitam & ſanguinem petere: is non hoc palam dicit? Mihi ſi quid deberetur, peterem, atque adeo jampridem abſtuliſſem, &c.

DOLCE pag. II. *Che eſſendo richiamato a quel giudizio, dal quale ſono proceduti tutti queſti fatti, rifiuta una oneſtiſſima condizione: non confeſſi di dimandar non già i danari, ma il ſangue, e la vita apertamente, e con manifeſte parole? Io per me, ſe alcuna coſa doveſſi avere, la dimanderei, e anco già gran tempo le avrei poſto le mani ſopra*.

Ego ita malim. *Quegli, che eſſendo richiamato a quel giudizio, dal quale ſono proceduti tutti queſti fatti, rifiuta un' oneſtiſſima condizione, e confeſſa di non domandar danaio, ma vita, e ſangue, non viene egli apertamente a dire così? Io, ſe foſſi creditore di coſa alcuna, la dimanderei, anzi molto tempo fa le avrei poſto le mani ſopra*, ec.

In CAP. XV.

Ad hæc extrema, & inimiciſſima jura tam cupide decurrebas, ut tibi nihil in poſterum quod gravius, atque crudelius facere poſſes, reſervares?

DOLCE pag. 12. *Correvi tu con tanta cupidigia a queſte leggi eſtreme, & inimiciſſime, acciò che non ti ſi ſerbaſſe nell' avvenire coſa più grave, nè più crudele da poter fare?*

Ego ita malim. *Così dunque precipitoſamente correvi tu a queſt' eſtrema, ed infeſtiſſima giuſtizia, che coſa più gra-*

 ve,

re, nè più crudele ti rimaneſſe a poter fare in avvenire?

IBID. Nam quid homini poteſt turpius, &c.

DOLCE. *Perciocchè qual coſa può avvenire a un cittadino ec.*

Corrige. *ad un uomo.*

IBID. Cujus vero bona venierunt; cujus non modo illæ ampliſſimæ fortunæ, ſed etiam victus, veſtituſque neceſſarius ſub præcone cum dedecore ſubjectus eſt; is non modo ex numero viventium exturbatur, ſed ſi fieri poteſt, infra etiam mortuos amandatur.

DOLCE. *Ma uno, di cui ſono venduti i beni, e di cui non ſolo le gran facultà, ma le coſe pertinenti al vivere, e neceſſarie al veſtire ſono ſommeſſe all'incanto; non ſolamente è ſpinto dal numero de' viventi, ma anco, ſe far ſi può, è confinato fra morti.*

Ego ita malim. *Ma quegli, i cui beni ſono andati venduti; che vide con ſua infamia poſti all'incanto non ſolo gli averi ſuoi più groſſi, ma le coſe ſteſſe pertinenti al vivere, e veſtire; quegli, dico, non ſolamente ſi toglie dal numero de' viventi, ma ſi mette ancora, ſe ſia poſſibile, in peggior condizione de' morti.*

In CAP. XVI.

Viri boni cum palam fraudantur, cum experiundi poteſtas non eſt, timide tamen, & pedetentim iſtuc deſcendunt.

DOLCE pag. 12. *Di qui gli uomini dotati di bontà, ſe ben ſono da' Debitori apertamente fraudati; e perciò ſia loro tolto di poter venire alla legge, nondimeno con timidezza, e lentamente diſcendono alle vendicazioni.*

Ego ita malim. *Gli uomini dabbene, quand' anche ſono apertamente deluſi, quando non poſſono per via di giudizio far la loro domanda, con riguardo tuttavia, e lentezza vengono a queſt' eſtremo.*

In CAP. XVIII.

In memoriam rediit Quinctius, quo die, &c.

DOLCE. pag. 14. *Gli tornò in memoria il giorno, ec.*

Ego ita malim. *Cominciò a penſare Quinzio, qual giorno*, ec. Nam ſi hæc verba ſecundum Ludovicum DOLCE explicentur, cetera, quæ ſequuntur, locum non habent.

IBIDEM. Cum adſtipulatore tuo comparabuntur.

DOL-

DOLCE pag. 14. *Verranno eſaminati da colui, che ha queſto carico in ſervigio suo.*

Ego ita malim. *Si metteranno a confronto con colui, che ſi ſervì di teſtimonio, e fautore nella ſtipulazione.*

In CAP. XIX.

Sui negotii bene gerens.

DOLCE pag. 15. *Degli affari a lui commeſſi buoniſſimo negoziatore.*

Ego ita malim. *Che ſi governava bene.*

In CAP. XXII.

Hæc eſt iniqua concertatio; non illa, qua tu contra Alphenum velitabaris.

DOLCE pag. 17. *Queſto è bene ingiuſto contendimento; non quello che tu opponevi ad Alfeno.*

Ego ita malim. *Queſta sì, che è pugna ineguale; non quella, nella quale tu badaluccavi con Alfeno.*

In CAP. XXV.

Ante v. Kal. intercalares.

DOLCE pag. 19. *Avanti a* XXV. *di Gennajo.*

Ego ita malim. *Addì* XX. *di Febbrajo.*

IBID. Nævi te rogo.

DOLCE. *Io ti dimando queſto, Nevio.*

Ego ita malim. *Io il dimando a te, o Nevio.*

In CAP. XXVI.

Ut ſtatim de jure aliquis cucurrerit.

DOLCE pag. 19. *Perchè v'abbia corſo la poſta alcun leggiſta da buon mercato.*

Ego ita malim. *Dato che alcuno ſiaſi incontanente partito per le poſte dal Tribunale.*

IBIDEM. Quid hæc amentia?

DOLCE pag. 20. *Che dinota queſta traſcuratezza?*

Ego ita malim. *Che dinota queſta mentecattaggine?*

IBID. Quid? cum juſſiſſet, mittere nonne poteras?

DOLCE. *Epoſto che l'aveſſi ſaputo, con ſua licenza non potevi mandare alcuno?*

Ego ita malim. *E che? dappoichè egli l'aveſſe ordinato, non*

non potevi tu allora mandare?

IBID. Si nemo recuſaret, qui ex ipſius decreto & ſatiſdaret, & judicium accipere vellet.

DOLCE. *Se niuno aveſſe ricuſato di dar ſicurtà, e voluto ricever la condizion del giudizio.*

Ego ita malim. *Se niuno ſi foſſe oppoſto, col dar ſicurtà giuſta il decreto, e col ricever la cauſa.*

IBID. De cujuſquam vita dicere audes, qui hoc concedas neceſſe eſt, ita te cæcum &c.?

DOLCE. *Ora della vita di qualunque uomo prendi ardimento di parlare, è meſtieri, che tu confeſſi, te eſſere ſtato sì fattamente accecato,* ec?

Ego ita malim. *E tu avrai ardire di mettere in contingenza con le tue impoſture la vita d'alcuno, tu che ſei coſtretto a confeſſare d'eſſere ſtato sì cieco*, cc.?

In CAP. XXVII.

Ais enim, te ex edicto veniſſe.

DOLCE pag. 21. *Perchè tu dì, aver per vigor di eſſo fatta la vendita.*

Ego ita malim. *Imperciocchè tu dici d'eſſer andato a poſſeſo in vigor dell' editto*. Fortaſſe hoc loco Interpres exiſtimavit vocem *veniſſe* eſſe a *veneo*, ipſumque *veneo* activa ſignificatione uſurpari. Alioquin non video, cur venditionis mentionem faciat.

ORA-

ORATIONIS
PRO SEX. ROSCIO AMERINO

ARGUMENTUM.

CUm pater Sex. Roſcii, pro quo habetur hac Oratio, noctu rediens e cœna occiſus eſſet, Erutius filium accuſavit parricidii, impellente Chryſogono Sylla liberto. Impellebat autem maxime per duos Roſcios, Capitonem, & Magnum, veteres Roſcii occiſi inimicos, in quos Cicero hujus cadis ſuſpicionem confert. Itaque non tam hac defenſio dici debet, quam artificioſiſſima accuſatio. Ea porro erat Chryſogono cauſſa perdendi filii, ut tuto poſſideret patris bona iniquiſſime proſcripta, minimoque emta.

Prima hac cauſſa publica eſt, quam Cicero egit annos natus 27. ut oſtendit Gellius l. 15. c. 28. L. Sylla iterum, & Q. Metello Coſſ. anno U. C. 673. Dicitur cauſſa publica, quia qui civem occidit, toti Reip. injuriam facit. Vide in Ind. Judicia publica.

Acta eſt in foro ad tribunal Fannii Pratoris, & Quaſitoris inter Sicarios, *aſſidentibus judicibus ex ordine Senatorio, qui ſolus hoc tempore judicabat. Sylla enim Equites, quod a Marianis partibus ſtetiſſent, judicandi honore privavit, quem per annos quadraginta lege C. Gracchi tenuerant. Genus orationis judiciale eſt. Status conjecturalis :* Utrum Sex. Roſcius patrem occiderit.

Par-

Partes quinque ſunt, exordium, narratio, partitio, confirmatio, & peroratio, ſeu amplificatio.

ORATIONIS EXORDIUM.

IN exordio primum reddit rationem, cur ipſe potiſſimum hanc Roſcii cauſſam ſuſceperit: deinde Fannium hortatur ad ſeveritatem magno quidem artificio, ut non tam videatur innocentem defenſurus, quam nocentiſſimos homines accuſaturus.

C. I. CREDO ego vos, judices, mirari, quid ſit, quod, cum tot ſummi oratores, homineſque nobiliſſimi ſedeant, ego potiſſimum ſurrexerim, is, qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate ſim cum his, qui ſedeant, comparandus. Omnes enim hi, quos videtis adeſse in hac cauſsa, injuriam novo ſcelere conflatam putant oportere defendi, defendere ipſi propter

ſedeant) ſedebant advocati Roſcii, ut ei præſentia faverent, non eloquentia.

is, qui &c.) Pronomen *is* ſcribit Hotomanus abeſſe ab omnibus aliis & antiquis & impreſſis libris.

auctoritate) auctoritas conciliatur nobilitate, opibus, gratia, & præſertim adminiſtratione Reip., ad quam Cicero nondum acceſſerat.

novo ſcelere) quia qui patrem Roſcii revera occiderunt, filium accuſant parricidii.

defendi) propulſari. Sic Q. Claudius apud Gellium l. 9. c. 1. *A pinnis hoſtes defendebant facillime.*

pter iniquitatem temporum non audent. Ita fit, ut adſint, propterea quod officium ſequuntur; taceant autem iccirco, quia periculum metuunt. Quid ergo? Audaciſſimus ego ex omnibus? Minime. At tanto officioſior, quam ceteri? Ne iſtius quidem laudis ita ſum cupidus, ut aliis eam præreptam velim. Quæ me igitur res præter ceteros impulit, ut cauſſam Sex. Roſcii reciperem? Quia, ſi quis iſtorum dixiſſet, quos videtis adeſſe, in quibus ſumma auctoritas eſt atque amplitudo; ſi verbum de rep. feciſſet, id quod in hac cauſſa fieri neceſſe eſt; multo plura dixiſſe, quam dixiſſet, putaretur; ego etiamſi omnia, quæ dicenda ſunt, libere dixero, nequaquam tamen ſimiliter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit: deinde, quod ceterorum neque dictum obſcurum poteſt eſſe propter nobilitatem & amplitudinem; neque temere dicto concedi propter ætatem & prudentiam; ego ſi quid liberius dixero, vel occultum eſſe propterea quod nondum ad remp. acceſſi, vel ignoſci adoleſcentiæ meæ poterit. Tametſi non modo ignoſcendi ratio, ve-

rum

officium) tamquam amici & advocati.

periculum) metuunt ſibi a Chryſogono Syllæ liberto, qui totam hanc accuſationem inſtruxit, ut Sex. Roſcium perdat. Huc referenda ſunt verba illa, *propter iniquitatem temporum*; quibus ſcilicet Sylla & Syllani impotenter dominantur.

At tanto) fortaſſe legendum *an tanto*.

neceſſe eſt) oportet dicere de Chryſogono, ejuſque nimia in Rep. auctoritate.

plura dixiſſe) aliqui referrent ad Syllam multo plura ad invidiam conflandam.

oratio mea) quippe adoleſcentis.

concedi) ignoſci: nam ſenes & prudentes viri nihil temere dicere videntur.

occultum eſſe) nondum Cicero magiſtratuum adminiſtratione inclaruerat.

rum etiam cognoſcendi conſuetudo jam de civitate ſublata eſt. Accedit illa quoque cauſſa, quod a ceteris forſitan ita petitum ſit, ut dicerent, ut utrumvis ſalvo officio ſe facere poſſe arbitrarentur: a me autem ii contenderunt, qui apud me & amicitia & beneficiis & dignitate plurimum poſſunt; quorum ego neque benevolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aſpernari, nec voluntatem negligere debeam.
C. II. * His de cauſſis ego huic cauſſæ patronus extiti, non electus unus, qui maximo ingenio, ſed relictus ex omnibus, qui minimo periculo poſſem dicere: neque uti ſatis firmo præſidio defenſus Sex. Roſcius, verum uti ne omnino deſertus eſſet. Forſitan quæratis, qui iſte terror ſit, & quæ tanta formido, quæ tot ac tales viros impediat, quo minus pro capite & fortunis alterius, quemadmodum conſueverunt, cauſſam velint dicere: quod adhuc vos ignorare non mirum eſt; propterea quod conſulto ab accuſatoribus ejus rei, quæ conflavit hoc judicium, mentio facta non eſt. Quæ res ea eſt? Bona patris hujuſce Sex. Roſcii, quæ ſunt ſexagies,

cognoſcendi) quia ea tempeſtate non ſolum non ignoſcebatur erroribus, ſed ſæpe etiam, incognita cauſſa, homines puniebantur. Id præſertim ad Syllanas proſcriptiones referendum eſt. Eſt autem *cognoſcere* audire aliquem in judicio. Videtur imitatus Terentianum illud in Eunucho prol. 42. *Æquum eſt vos cognoſcere, atque ignoſcere.*

utrumvis) vel dicere, vel tacere.

relictus ex omnibus) quia tacentibus omnibus, qui eligi potuiſſent, reliquum erat ut Cicero adoleſcens cauſſam ſuſciperet. Hinc ſe *relictum* modeſtiæ gratia, non *electum* dicit.

quæ ſunt ſexagies) quæ æſtimantur ſexagies centenis millib. ſeſtertium. hoc eſt centum & quinquaginta millib. Philippeorum.

gies, quæ de viro fortiſſimo & clariſſimo L. Sylla, quem honoris cauſſa nomino, duobus millibus nummum ſeſe dicit emiſſe, adoleſcens vel potentiſſimus hoc tempore noſtræ civitatis, L. Cornelius Chryſogonus. Is a vobis, judices, hoc poſtulat, ut, quoniam in alienam pecuniam, tam plenam atque præclaram, nullo jure invaſerit; quoniamque ei pecuniæ vita Sex. Roſcii obſtare atque officere videatur, deleatis ex animo ſuo ſuſpicionem omnem, metumque tollatis. Seſe, hoc incolumi, non arbitratur hujus innocentis patrimonium tam amplum & copioſum poſſe obtinere; damnato & ejecto, ſperat, ſe poſſe, quod adeptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere atque conſumere. Hunc ſibi ex animo ſcrupulum, qui ſe dies noctesque ſtimulat ac pungit, ut evellatis, poſtulat; & ad hanc ſuam prædam tam nefariam adjutores vos profiteamini. * Si vobis æqua & honeſta poſtulatio videtur, judices; ego contra brevem poſtulationem C. III.

L. Sylla) cur non *Sulla*, Vide Ind.

duobus millibus nummum) hoc eſt quinquaginta Philippeis: nam ſeſtertius, qui nomine nummi intelligitur, valet quinque ſolidos Venetos; ac proinde mille ſeſtertii Philippeos 25.; bis mille, Philippeos 50.

dicit emiſſe) ajebat Chryſogonus, ſe emiſſe ſub haſta bona Sex. Roſcii interfecti, quod ejus nomen eſſet in tabula proſcriptorum.

vel potentiſſimus) particula *vel* hoc loco idem valet ac *facile*, *procul dubio*.

hoc poſtulat) non hoc quidem libere, & aperte poſtulabat, ſed per hanc accuſationem poſtulare videbatur.

alienam pecuniam) idem patrimonium. V. Ind.

vita Sex. Roſcii obſtare) quia poterat bona patris iniquiſſime vendita repetere.

obtinere) retinere.

ejecto) in exilium.

Si æqua & honeſta) Per hæc claudit totam ironiam longam atque inſignem.

nem affero, &, quo modo mihi perſuadeo, aliquanto æquiorem. Primum a Chryſogono peto, ut pecunia fortuniſque noſtris contentus ſit, ſanguinem & vitam ne petat; deinde a vobis, judices, ut audacium ſceleri reſiſtatis, innocentium calamitatem levetis, & in cauſſa Sex. Roſcii periculum, quod in omnes intenditur, propulſetis. Quod ſi aut cauſsa criminis, aut facti ſuſpicio, aut qualibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi non nihil tamen in deferendo nomine ſecuti; poſtremo ſi præter eam prædam, quam dixi, quidquam aliud cauſſæ inveneritis; non recuſamus, quin illorum libidini Sex. Roſcii vita dedatur. Sin aliud agitur nihil, niſi ut iis ne quid deſit, quibus ſatis nihil eſt; ſi hoc ſolum hoc tempore pugnatur, ut ad illam opimam præclaramque prædam damnatio Sex. Roſcii, velut cumulus, accedat; nonne cum multa indigna, tum vel hoc indigniſſimum eſt, vos idoneos habitos, per quorum ſententias juſque jurandum id aſſequantur, quod antea ipſi ſcelere & ferro aſſequi conſuerunt? Qui ex civitate in ſenatum pro-

quod in omnes intenditur) quia ex hac nimia Chryſogoni potentia omnibus periculum impendebat.

cauſſa criminis) cauſſa cur Roſcius patrem occideret.

in deferendo nomine) Sex. Roſcii inter reos.

ut iis ne quid deſit) Chryſogono, & duobus Roſciis Capitoni, & Magno, qui in partem prædæ venerant.

juſque jurandum) quia jurabant judices, ſe ex legibus judicaturos.

ſcelere & ferro) occidentes ditiſſimos homines eorum bona occupabant.

conſuerunt) fortaſſe legendum *conſueverunt* plenioris numeri gratia.

ex civitate in Senatum) ex tota Civitate legebantur Senatores, ex Senatoribus Judices.

propter dignitatem, ex ſenatu in hoc conſilium delecti eſtis propter ſeveritatem, ab his hoc poſtulare homines ſicarios atque gladiatores, non modo ut ſupplicia vitent, quæ a vobis pro maleficiis ſuis metuere atque horrere debent, verum etiam ut ſpoliis Sex. Roſcii hoc judicio ornati auctique diſcedant? * His de rebus tan- C.IV.
tis tamque atrocibus, neque ſatis me commode dicere, neque ſatis graviter conqueri, neque ſatis libere vociferari poſſe intelligo: nam commoditati ingenium gravitati ætas, libertati, tempora ſunt impedimento. Huc accedit ſummus timor, quem mihi natura pudorque meus attribuit, & veſtra dignitas, & vis adverſariorum, & Sex. Roſcii pericula. Quapropter vos oro, atque obſecro, judices, ut attente bonaque cum venia verba mea audiatis. Fide ſapientiaque veſtra fretus, plus oneris ſuſtuli, quam ferre me poſſe intelligo: hoc onus ſi vos aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, ſtudio & induſtria, judices: ſin a vobis, id quod non ſpero, deſerar; tamen animo non deficiam, & id, quod ſuſcepi, quoad potero, perferam: quod ſi perferre non potero, opprimi me onere officii malo, quam id, quod mihi cum fide ſemel impoſitum eſt, aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi depone-

hoc poſtulare) Infinitivus hic ſervit indignationi. Ipſe per ſe conſtat, nec ab alio verbo pendet.

commode) vehementer & copioſe.

fide ſapientiaque) fides refertur ad integritatem, ſapientia ad acumen & intelligendi facilitatem.

non ſpero) non metuo. Vide Ind.

deſerar) non audiar attente, & bona cum venia.

mihi cum fide impoſitum) meæ fidei concreditum.

nere. Te quoque magnopere, M. Fanni, quæſo, ut, qualem te jam antea populo R. præbuiſti, cum huic idem quæſtioni judex præeſſes, talem te & nobis & populo R. hoc tempore
C. V. impertias. * Quanta multitudo hominum convenerit ad hoc judicium, vides; quæ ſit omnium mortalium expectatio, quæ cupiditas, ut acria ac ſevera judicia fiant, intelligis. Longo intervallo judicium inter ſicarios hoc primum committitur, cum interea cædes indigniſſimæ maximæque factæ ſint. Omnes hanc quæſtionem, te prætore, de manifeſtis maleficiis quotidianoque ſanguine haud remiſſius ſperant futuram. Qua vociferatione in ceteris judiciis accuſatores uti conſueverunt, ea nos hoc tempore utimur, qui cauſſam dicimus. Petimus abs te, M. Fanni, a vobiſque judices, ut quam acerrime maleficia vindicetis, ut quam fortiſſime hominibus audaciſſimis reſiſtatis, ut hoc cogitetis, niſi in hac cauſſa, qui veſter animus ſit, oſtendetis, eo prorumpere hominum cupiditatem & ſcelus & audaciam, ut non modo clam,

quæſtioni judex præeſſes) fuerat Judex quæſtionis in cauſſa *de Sicariis*, nunc vero Quæſitor eſt. V. in Ind. *Judex Quæſtionis*, & *Quæſitor*.

Longo intervallo) quia bello civili Syllano intermiſſa fuerant judicia de Sicariis, ut victores impune occiderent, quos libuiſſet.

judicium committitur) h. e. exercetur.

inter ſicarios) de ſicariis. Formula juris eſt, quæ adhibetur etiam c. 32.

haud remiſſius) quam antea, cum judex hujus quæſtionis eſſes.

futuram) Hotomanus mallet *futurum* ea loquendi forma, quam Gellius probat lib. 1. c. 7.

Qua vociferatione) quam ſeveritatem in aliis cauſſis accuſatores poſtulare ſolent, eam nos defenſores in hac cauſſa poſtulamus.

clam, verum etiam hic in foro, ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes veſtros, judices, inter ipſa ſubſellia cædes futuræ ſint. Etenim quid aliud hoc judicio tentatur, niſi ut id fieri liceat? Accuſant ii, qui in fortunas hujus invaſerunt: cauſſam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Accuſant ii, quibus occidi patrem Sex. Roſcii bono fuit: cauſſam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egeſtatem. Accuſant ii, qui hunc ipſum jugulare ſumme cupierunt: cauſsam dicit is, qui etiam ad hoc ipſum judicium cum præſidio venit; ne hic ibidem ante oculos veſtros trucidetur. Denique accuſant ii, quos populus poſcit: cauſsam dicit is, qui unus relictus ex illorum nefaria cæde reſtat. Atque ut facilius intelligere poſſitis, judices, ea, quæ facta ſunt, indigniora eſse, quam hæc ſunt, quæ dicimus; ab initio res quemadmodum geſta ſit, vobis exponemus; quo facilius & hujus hominis innocentiſſimi miſerias, & illorum audaciam cognoſcere poſſitis, & reip. calamitatem.

cauſſam dicit) *cauſſam dicere* quid ſignificet, vide in Ind.

bono fuit) utile fuit. Sic pro Milon. c. 12. *Illud Caſſianum, cui bono fuerit, in his perſonis valeat.*

cum præſidio) amicorum.

hic ibidem) hoc ipſo loco. Hæc particularum conjunctio animadverſione digna eſt.

quos populus poſcit) ad pœnam propter multa in omnes ſcelera commiſſa.

unus relictus) unicus occiſi Roſcii filius.

NARRATIO.

SEx. Roſcius fuit ſui Municipii nobiliſſimus, & Romanæ nobilitatis fautor: Roſcius Magnus, & Roſcius Capito fuere Sicarii, & Sex. Roſcii inimici, uſque ad cap. VII. *Sex. Roſcii cædes; cædis nuncius ad Capitonem; Societas inter duos Roſcios, & Chryſogonum ad bona Roſcii occiſi invadenda, & filium perdendum,* uſque ad cap. VIII. *Emit Chryſogonus ex haſta bona Sex. Roſcii velut hominis proſcripti; Sylla excuſatur; Magnus nomine Chryſogoni bona occupat,* uſque ad cap. IX. *Decretum Amerinorum de ope ferenda Roſcio filio; legatio ad Syllam, quæ arte Chryſogoni, & Capitonis eluditur: inſidiæ paratæ Roſcio, qui Romam confugit ad Cæciliam; crimen parricidii in eum confictum,* uſque ad cap. XI. *Exaggerat Orator cum magno doloris ſenſu hanc injuriam; pollicetur fidem & operam ſuam; comparat factum hoc cum facto C. Fimbriæ,* uſque ad cap. XIII.

C. VI. * Sex. Roſcius pater hujuſce, municeps Amerinus, fuit cum genere & nobilitate & pecunia non modo ſui municipii, verum etiam ejus viciniratis facile primus, tum gratia atque hoſpitiis florens hominum nobiliſſimorum. Nam cum Metellis, Serviliis, Scipionibus erat ei

municeps Amerinus] ex Ameria civitate Umbriæ. Ital. *Amelia*. Quid ſit *municeps*, vide Ind.

hoſpitiis] ſolebant cives Romani neceſſitudinem hoſpitii cum exteris hominibus contrahere, ut & ipſi eos Romam advenientes domi ſuæ exciperent, & iter facientes per provincias, haberent apud quos diverſarentur.

Metellis, Serviliis, Scipionibus] Ecce qui aderant Roſcio

ei non modo hoſpitium, verum etiam domeſticus uſus & conſuetudo: quas, ut æquum eſt, familias honeſtatis amplitudiniſque gratia nomino. Itaque ex ſuis omnibus commodis hoc ſolum filio reliquit. Nam patrimonium domeſtici prædones vi ereptum poſſident; fama & vita innocentis ab hoſpitibus amiciſque paternis defenditur. Hic cum omni tempore nobilitatis fautor fuiſſet, tam hoc tumultu proximo, cum omnium nobilium dignitas & ſalus in diſcrimen veniret, præter ceteros in ea vicinitate eam partem cauſſamque opera, ſtudio, auctoritate defendit. Etenim rectum putabat, pro eorum honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur. Poſtea quam victoria conſtituta eſt, ab armiſque receſſimus; cum proſcriberentur homines, atque ex omni regione caperentur ii, qui adverſarii fuiſſe putabantur; erat ille Romæ frequens, atque in foro & in ore omnium quotidie verſabatur, magis ut exſultare victoria nobilitatis videretur, quam timere, ne quid ex ea calamitatis ſibi accideret. Erant ei veteres inimicitiæ cum duobus Roſciis

ſcio in hac cauſſa commodantes præſentiam ſuam.

domeſtici prædones] duo Roſcii, Capito & Magnus, de quibus infra, una cum Chryſogono.

nobilitatis fautor] pro Sylla contra Marium.

hoc tumultu proximo] hoc proximo bello inter Marium, & Syllam. *Tumultum* autem appellat, quod in Italia bellum eſſet, & timorem multum urbi afferret. V. in Ind. *Tumultus*.

in ea vicinitate] Ameriæ.

proſcriberentur] a Sylla victore, qui tabulam in foro fixerat, in qua plurimorum nomina ſcripta erant, ut ad cædem quærerentur, eorumque bona ſub haſta venderentur.

ſciis Amerinis ; quorum alterum ſedere in accuſatorum ſubſelliis video, alterum tria hujuſce prædia poſſidere audio ; quas inimicitias ſi tam cavere potuiſſet, quam metuere ſolebat, viveret. Neque enim, judices, injuria metuebat : nam duo iſti ſunt T. Roſcii (quorum alteri Capitoni cognômen eſt, iſte qui adeſt, Magnus vocatur). homines ejuſmodi ; alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur ; hic autem nuper ſe ad eum laniſtam contulit ; qui, cum ante hanc pugnam tiro eſſet ſcientia, facile ipſum magiſtrum ſcelere audaciaque ſuperavit. * Nam, cum hic
C.VII Sex. Roſcius eſſet Ameriæ, T. autem iſte Roſcius Romæ ; cum hic filius aſſiduus in prædiis eſſet, cumque ſe voluntate patris rei familiari vitæque ruſticæ dediſſet ; iſte autem frequens Romæ eſſet ; occiditur ad balneas Palatinas rediens a cœna Sex. Roſcius. Spero ex hoc ipſo

non

quorum alterum] T. Roſcium Magnum.

alterum tria] T. Roſcium Capitonem.

homines ejuſmodi] duo T. Roſcii ſunt homines ejuſmodi, ut alter vetus gladiator ſit, alter nuper eſſe cœperit : idcirco eos non injuria metuebat Sex. Roſcius.

plurimarum palmarum] homo ſæpe in cæde verſatus dicitur per translationem gladiator vetus, quique plurimas palmas retulit. Victori enim gladiatori palma dabatur.

ad eum laniſtam] ad Roſcium Capitonem, quem per translationem appellat laniſtam, hoc eſt ludi gladiatorii magiſtrum.

ante hanc pugnam tiro] ante hanc cædem Sex. Roſcii paucos occiderat.

Cum hic Sex. Roſcius eſſet Ameriæ, T. autem iſte Roſcius Romæ.] Hæc omnia redundare videntur, & in contextum irrepſiſſe.

iſte Roſcius] Magnus, in quem incipit rejicere ſuſpicionem cædis.

Aſſiduus] frequens ac diligens : eſt enim *aſſiduus*, qui alicui rei jugiter adeſt, ut docet Varro lib. 5. de ling. Lat.

balneas Palatinas] quæ erant in colle Palatino.

non eſſe obſcurum, ad quem ſuſpicio maleficii pertineat: verum id, quod adhuc eſt ſuſpicioſum, niſi perſpicuum res ipſa fecerit, hunc affinem culpæ judicatote. Occiſo Sex. Roſcio, primus Ameriam nunciat Manlius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens & familiaris iſtius T. Roſcii: & nunciat domum, non filii, ſed T. Capitonis inimici: &, cum poſt horam primam noctis occiſus eſſet, primo diluculo nuncius hic Ameriam venit. Decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia paſſuum ciſiis pervolavit; non modo ut exoptatum inimico nuncium primus afferret, ſed etiam cruorem inimici quam recentiſſimum, telumque paullo ante corpore extractum oſtenderet. Quatriduo, quo hæc geſta ſunt, res ad Chryſogonum in caſtra L. Syllæ Volaterras defertur: magnitudo pecuniæ demonſtratur: bonitas prædiorum; nam fundos decem & tres reliquit, qui Tyberim fere omnes tangunt; hujus inopia & ſolitudo commemoratur.

hunc affinem culpæ] Sex. Roſcii filium, quem ego defendo.

Manlius] Al. *Mallius*: quam lectionem probat Manutius, quia Manlii nobiles erant, Mallii ignobiles.

tenuis, libertinus, cliens, familiaris] nomina hæc cauſſas continent, quibus impelli potuerit ad occidendum Sex. Roſcium, tum ut tenuitati ſuæ conſuleret, tum ut patrono obſequeretur.

libertinus] V. Ind.

cliens] V. Ind.

horam primam] quemadmodum dies, ita & nox in duodecim horas toto anni tempore diſtributa erat: ſed horæ modo erant breviores, modo longiores pro variis anni tempeſtatibus.

ciſiis] *Ciſium*, vehiculi genus velociſſimi. Ital. *Sedia, o caleſſo da poſta*.

Quatriduo] quatridui ſpatio geſta, & Chryſogono delata.

Volaterras] Urbs eſt Hetruriæ. Ital. *Volterra*.

Tyberim tangunt] ideoque opportuniſſimi.

tur . Demonſtrant , cum pater hujuſce Sex. Roſcius , homo tam ſplendidus & gratioſus , nullo negotio ſit occiſus, perfacile hunc , hominem incautum & ruſticum & Romæ ignotum , de medio tolli poſſe . Ad eam rem operam ſuam pollicentur . Ne diutius vos teneam ,
C. VIII judices , ſocietas coitur . * Cum jam proſcriptionis mentio nulla fieret ; & cum etiam qui antea metuerant , redirent , ac jam defunctos ſeſe periculis arbitrarentur ; hominis ſtudioſiſſimi nobilitatis manceps fit Chryſogonus ; tria prædia vel nobiliſſima Capitoni propria traduntur , quæ hodie poſſidet : in reliquas omnes fortunas iſte T. Roſcius nomine Chryſogoni , quemadmodum ipſe dicit , impetum facit . Hæc bona ſexagies HS emuntur duobus millibus nummum . Hæc omnia , judices , imprudente L. Sylla , facta eſſe certo ſcio . Neque enim mirum , cum eodem tempore & ea , quæ præterita ſunt , & ea , quæ videntur inſtare , præparet , cum & pacis conſtituendæ rationem , &

ſocietas coitur] inter Chryſogonum , Magnum , & Capitonem ad occupanda occiſi Roſcii bona.

arbitrarentur] Huc addenda videntur verba hæc ex Soſipatro, & Diomede, *nomen refertur in tabulas Sex. Roſcii hominis &c.* Ita cenſent Hotomanus, Lipſius, & Grævius.

ſtudioſiſſimi nobilitatis] ideoque Syllæ, ac Syllanarum partium.

manceps fit] emit ſub haſta ejus bona tamquam hominis proſcripti. Dicitur autem manceps, hoc eſt ſector, quia manu ſublata, ea bona nomine ſuo emit. V. Ind.

ſexagies HS] ſexagies centena millia ſeſtertium , de quibus c. 2. Vide in Ind. *Seſtertius*.

imprudente L. Sylla] non animadvertente.

præparet] verbum hoc refertur ad *futura*, & ad *præterita* , per figuram ζεῦγμα : nec eorum probanda eſt conjectura , qui primum membrum ita legunt , *& ea , quæ præterita ſunt , reputet* , vel *reparet* .

& belli gerendi poteſtatem ſolus habeat; cum omnes in unum ſpectent, unus omnia gubernet; cum tot tantiſque negotiis diſtentus ſit, ut reſpirare libere non poſſit; ſi aliquid non animadvertat; cum præſertim tam multi occupationem ejus obſervent, tempuſque aucupentur, ut, ſimul atque ille deſpexerit, aliquid hujuſcemodi moliantur. Huc accedit, quod, quamvis ille felix ſit, ſicut eſt, tamen tanta felicitate nemo poteſt eſſe in magna familia, qui neminem neque ſervum, neque libertum improbum habeat. Interea iſte T. Roſcius, vir optimus, procurator Chryſogoni, Ameriam venit; in prædia hujus invadit; hunc miſerum, luctu perditum, qui nondum etiam paterno funeri juſta ſolviſſet, nudum ejicit domo, atque focis patriis diiſque penatibus præcipitem, judices, exturbat: ipſe ampliſsimæ pecuniæ fit dominus: qui in ſua re fuiſſet egentiſsimus, erat, ut fit, inſolens in aliena: multa palam domum ſuam auferebat, plura clam de medio removebat: non pauca ſuis adjutoribus large effuſeque donabat, reliqua conſtituta auctione vendebat. * Quod Amerinis uſque eo C. IX. viſum eſt indignum, ut urbe tota fletus gemituſque fieret. Etenim multa ſimul ante oculos

ſolus] quia Dictator.

deſpexerit] quaſi deorſum aſpexerit, demiſerit oculos, non fuerit attentus.

felix] Sylla *felix* cognomento dictus eſt. Vide Plin. l. 7. c. 43.

libertum] V. in Ind. *Libertinus*.

iſte T. Roſcius] Magnus.

juſta ſolviſſet] inferias feciſſet, quæ juſta funerum dicuntur. Gruterus ex multis MSS. & ex editionibus priſcis leg. *omnia paterno funeri juſta &c.* quia nondum ſacra omnia fecerat, quæ in funere placandis manibus fieri ſolebant.

culos verſabantur ; mors hominis florentiſsimi , Sex. Roſcii crudeliſsima ; filii autem ejus egeſtas indigniſsima , cui de tanto patrimonio prædo iſte nefarius ne iter quidem ad ſepulcrum patrium reliquiſſet ; bonorum emtio , flagitioſa poſſeſſio, furta, rapinæ, donationes. Nemo erat , qui non ardere omnia mallet , quam videre in Sex. Roſcii, viri optimi atque honeſtiſſimi , bonis jactantem ſe ac dominantem T. Roſcium. Itaque decurionum decretum ſtatim fit , ut decem primi proficiſcantur ad L. Syllam ; doceantque eum, qui vir Sex. Roſcius fuerit ; conquerantur de iſtorum ſcelere & injuriis ; orent, ut & illius mortui famam, & filii innocentis fortunas conſervatas velit . Atque ipſum decretum , quæſo , cognoſcite . DECRETUM DECURIONUM . Legati in caſtra veniunt . Intelligitur , judices , id quod jam ante dixi , imprudente L. Sylla ſcelera hæc & flagitia fieri. Nam ſtatim Chryſogonus & ipſe ad eos accedit , & homines nobiles allegat iis , qui peterent , ne ad Syllam adirent , & omnia Chryſogonum , quæ vellent,

ſepulcrum] fortaſſe hoc, inquit Hotomanus , oratoria licentia dicitur . Sed cum in peroratione confirmetur, cenſendum eſt, verum eſſe . Vide Animadverſionem primam.

emtio , *flagitioſa poſſeſſio*] Lambinus , quem Gruterus, & Grævius ſequuntur, ita legit hunc locum : *emtio flagitioſa* , *flagitioſa poſſeſſio* .

decurionum] Senatorum Amerinorum . V. Ind.

decem-primi] decuriones decem , quorum præcipua fuit auctoritas , ac Duumviris proxima in Coloniis , & Municipiis. V. Ind.

allegat iis] Lambinus legit, *allegat* , *ab iis qui peterent* , quod *allegare alicui* latine non dicatur. Eſt autem *allegare* privatim mittere, ac de re privata , quemadmodum *legare* eſt publice mittere, ac de re publica.

lent, eſſe facturum pollicerentur. Uſque adeo autem ille pertimuerat, ut mori mallet, quam de his rebus Syllam doceri: * Homines antiqui, C. X.
qui ex ſua natura ceteros fingerent, cum ille confirmaret, ſeſe nomen Sex. Roſcii de tabulis exemturum, prædia vacua filio traditurum, cumque id ita futurum T. Roſcius Capito, qui in x legatis erat, adpromitteret, crediderunt, Ameriam re inorata reverterunt. Ac primo rem differre quotidie, ac procraſtinare iſti cœperunt; deinde aliquanto lentius, nihil agere, atque deludere; poſtremo, id quod facile intellectum eſt, inſidias vitæ hujuſce Sex. Roſcii parare, neque ſeſe arbitrari poſſe diutius alienam pecuniam, domino incolumi, obtinere. Quod is ſimul atque ſenſit, de amicorum cognatorumque ſententia Romam confugit, & ſeſe ad Cæciliam, Nepotis filiam, quam honoris cauſſa nomino, contulit, qua pater uſus erat plurimum: in qua muliere, judices, etiam nunc, id quod omnes ſemper exiſtimaverunt, quaſi exempli cauſſa veſtigia anti-

Homines antiqui) antiqua fide, antiquo ingenio, hoc eſt nimis boni.

de tabulis) proſcriptionis Syllanæ.

vacua) libera.

adpromitteret]' Adpromittere eſt pro altero promittere ſimul cum illo. Itaque Capito ſimul cum hominibus illis allegatis promittebat, ſeu potius confirmabat,, quod illi promiſerant, tamquam fidejuſſor. V. Ind.

Nepotis filiam) omnes fere interpretes hic mendum agnoſcunt, cum ex iis, quæ habentur c. 50. ſatis conſtet Cæciliam hanc fuiſſe *Metelli Balearici filiam*, *&* *Nepotis ſororem*. Verba igitur illa, *Nepotis filiam*, rejicienda videntur, aut corrigenda. Quidam putant Cæciliam hanc alterius Nepotis filiam fuiſſe, & Syllæ uxorem, de qua Plutarchus in Sylla.

exempli cauſſa) antiquos mores, & antiqua officia tenet Cæcilia ad exemplum; ne omnis veteris virtutis & honeſtatis memoria tollatur.

antiqui officii remanent. Ea Sex. Roſcium inopem, ejectum domo, atque expulſum ex ſuis bonis, fugientem latronum tela & minas, recepit domum, hoſpitique oppreſſo jam deſperatoque ab omnibus opitulata eſt. Ejus virtute, fide, diligentia factum eſt, ut hic potius vivus in reos, quam occiſus in proſcriptos referretur. Nam poſtquam iſti intellexerunt, ſumma diligentia vitam Sex. Roſcii cuſtodiri, neque ſibi ullam cædis faciundæ poteſtatem dari; conſilium ceperunt plenum ſceleris & audaciæ, ut nomen hujus de parricidio deferrent; ut ad eam rem aliquem accuſatorem veterem compararent, qui de ea re poſſet dicere aliquid, in qua re nulla ſubeſſet ſuſpicio; denique, ut, quoniam crimine non poterant, tempore ipſo pugnarent. Ita loqui homines, quod judicia tamdiu facta non eſſent, condemnari eum oportere, qui primus in judicium adductus eſſet; huic autem patronos propter Chryſogoni gratiam defuturos; de bonorum venditione, & de iſta ſocietate verbum eſſe facturum neminem; ipſo nomine parricidii, & atrocitate criminis, fore, ut hic nullo negotio tolleretur, cum ab nullo defenſus eſſet. Hoc conſilio, atque adeo hac amentia impulſi, quem ipſi, cum cuperent, non

occiſus in proſcriptos) ſi enim illum occidiſſent, in proſcriptorum tabulas retuliſſent, ut videretur impune occiſus.

accuſatorem veterem] callidum, multiſque accuſationibus exercitatum.

tempore pugnarent) uterentur temporis opportunitate ad pugnandum contra Roſcium. Ita enim loquebantur homines, &c.

non potuerunt occidere, eum jugulandum vobis tradiderunt. * Quid primum querar? aut C. XI.
unde potiſſimum exordiar, judices? aut quod, aut a quibus auxilium petam? Deorum ne immortalium, populi ne Romani, veſtram ne, qui ſummam poteſtatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Pater occiſus nefarie, domus obſeſſa, ab inimicis bona ademta, poſſeſſa, direpta; filii vita infeſta, ſæpe ferro atque inſidiis appetita. Quid ab his tot maleficiis ſceleris abeſſe videtur? Tamen hæc aliis nefariis cumulant, atque adaugent: crimen incredibile confingunt: teſtes in hunc, & accuſatores hujuſce pecunia comparant: hanc conditionem miſero ferunt, ut optet utrum malit, cervices Roſcio dare, an inſutus in culeum per ſummum dedecus vitam amittere. Patronos huic defuturos putaverunt; deſunt: qui libere dicat, qui cum fide defendat; id, quod in hac cauſſa eſt ſatis, quoniam quidem ſuſcepi, non deeſt profecto, judices: & forſitan in ſuſcipienda cauſſa temere impulſus adoleſcentia fecerim; quoniam quidem ſemel ſuſcepi, licet hercules undique omnes terrores, minæ, periculaque impendeant omnia,

vita infeſta] vexata.

hujuſce pecunia) ipſius Roſcii.

optet] eligat. Hinc *optio* poteſtas eligendi.

cervices Roſcio] Magno omnia concedere occupata & abrepta.

an inſutus in culeum] an a teri ſe parricidam, & idcirco in culeum inſui & in flumen deiici. Quidam poſt hæc verba addunt, *ſupplicium parricidarum*. Sed manifeſtum gloſſema eſt. De hoc ſupplicii genere vide infra c. 25. & 26.

omnes terrores, minæ, periculaque] Al. *omnes in me terrores periculaque*.

omnia, ſuccurram atque ſubibo. Certum eſt deliberatumque, quæ ad cauſſam pertinere arbitror, omnia non modo dicere, verum etiam libenter, audacter, libereque dicere. Nulla res tanta exiſtat, judices, ut poſſit vim mihi majorem adhibere metus, quam fides. Etenim quis tam diſſoluto animo eſt, qui, hæc cum videat, tacere ac negligere poſſit? Patrem meum, cum proſcriptus non eſſet, jugulaſtis: occiſum in proſcriptorum numerum retuliſtis: me domo mea per vim expuliſtis: patrimonium meum poſſidetis: quid vultis amplius? Etiam ne ad ſubſellia cum ferro atque telis veniſtis, ut hic aut juguletis, aut condemnetis Sex. Roſcium?
C.XII * Hominem longe audaciſſimum nuper habuimus in civitate C. Fimbriam, &, quod inter omnes conſtat, niſi inter eos, qui ipſi quoque inſaniunt, inſaniſſimum. Is cum curaſſet in funere C. Marii, ut Q. Scævola vulneraretur, vir ſanctiſſimus atque ornatiſſimus noſtræ civitatis, de cujus laude neque hic locus eſt, ut multa dicantur, neque plura tamen dici poſſunt, quam populus R. memoria retinet; diem Scævolæ dixit, poſteaquam comperit eum poſſe vivere. Cum ab eo quæreretur, quid tandem accuſaturus eſſet eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quiſquam ſatis commode poſſet, ajunt ho-

exiſtat] Al. *exiſtet*, & quidem melius, ut opinor.

C. Fimbriam] idem de Fimbria narrat Val. Maximus l. 9. c. 11. De ejus audacia & inſania Oroſius l. 6. c. 2. & alii.

in funere C. Marii] qui mortuus eſt anno Urbis 665. idibus Januariis, cum ſeptimum gereret conſulatum.

diem dixit] Apud populum accuſavit. V. Ind. & Val Maximum loco citato.

hominem, ut erat furioſus, reſpondiſſe, quod non totum telum corpore recepiſſet: quo populus R. nihil vidit indignius, niſi ejuſdem viri mortem; quæ tantum potuit, ut omnes cives ſuos perdiderit, & afflixerit; quos quia ſervare per compoſitionem volebat, ipſe ab iis interemtus eſt. Eſt ne hoc illi dicto atque facto Fimbriæ non ſimillimum? Accuſatis Sex. Roſcium: quid ita? Quia de manibus veſtris effugit, quia ſe occidi paſſus non eſt. Illud, quia in Scævola factum eſt, magis indignum videtur. Hoc, quia fit a Chryſogono, num eſt ferendum? Nam per deos immortales, quid eſt in hac cauſſa, quod defenſionis indigeat? qui locus ingenium patroni requirit, aut oratoris eloquentiam magnopere deſiderat? Totam cauſſam, judices, explicemus, atque ante oculos expoſitam conſideremus. Ita facillime, quæ res totum judicium contineat, & quibus de rebus nos dicere oporteat, & quid vos ſequi conveniat, intelligetis.

ejuſdem viri mortem] occiſus eſt Scævola in veſtibulo ædis Veſtæ opera Damaſippi Prætoris, jubente Mario juniore C. Marii filio, qui cum Carbone conſul erat. Vide Florum l. 3. c. 21., & Oroſium l. 5. c. 20.

cives ſuos] cives Romanos. Vox *ſuos* redundat, & abeſt a quibuſdam manuſcriptis.

per compoſitionem] erat enim auctor pacis inter Syllanos & Marianos.

magis indignum] propter Scævolæ dignitatem.

num eſt ferendum?) Non enim ferenda erat pernicioſa potentia liberti. Itaque dicit Orator, illud magis indignum fuiſſe propter dignitatem Scævolæ accuſati; hoc magis eſſe indignum propter indignitatem Chryſogoni accuſantis. Alii leg. *non eſt ferendum*, ſublata interrogatione. Figura varia, ſenſus idem.

PARTITIO.

IN tria capita dividit oppugnationem adverſariorum: 1. eſt crimen ab Erutio confictum: 2. audacia Capitonis, & Magni: 3. potentia Chryſogoni. His tres contentionis ſuæ partes opponit; in quarum prima reſpondet Erutio, probans Sex. Roſcium non fuiſſe occiſum a filio; in ſecunda de Roſciorum audacia dicit, in eoſque patratæ cædis crimen convertit; in tertia intolerandam potentiam Chryſogoni patefacit.

C.XIII. * Tres ſunt res, quantum ego exiſtimare poſſum, quæ obſtent hoc tempore Sex. Roſcio, crimen adverſariorum, & audacia, & potentia. Criminis confictionem accuſator Erutius ſuſcepit: audaciæ partes Roſcii ſibi popoſcerunt: Chryſogonus autem, is, qui plurimum poteſt, potentia pugnat. De hiſce omnibus rebus me dicere oportere intelligo. Quid igitur eſt? Non eodem modo de omnibus: ideo quod prima illa res ad meum officium pertinet; duas autem reliquas vobis populus R. impoſuit. Ego crimen oportet diluam: vos & audaciæ reſiſtere, & hominum ejuſmodi pernicioſam atque intolerandam potentiam primo

audacia] Roſciorum, qui aperte filium oppugnabant, cum patrem ipſi occidiſſent, ejuſque bona occupaſſent.

Quid igitur eſt?] hæc verba non videntur Hotomano & Lambino poſita loco ſuo; ſed vel collocanda eſſe poſt verbum *pugnat*, vel poſt *impoſuit*.

Non eodem modo] quia ratio defenſionis unum id poſtulat, ut Sex. Roſcium purgem a crimine. Ceterum de audacia & potentia adverſariorum obiter dicam & veſtra cauſſa.

mo quoque tempore extinguere, atque opprimere debetis.

CONFIRMATIO.

In tres dividitur partes, ut conſtat ex Partitione. Prima uſque ad cap. 30. *Secunda uſque ad cap.* 43. *Tertia uſque ad cap.* 50.

PARS I.

SEx. Roſcius nec cauſſam, nec facultatem habuit occidendi patris: ergo non occidit. Primam partem de cauſſa occidendi probat Orator 1. *ex perſona filii;* 2. *ex perſona patris* uſque ad cap. xv. In xv. uſque ad xix. *diluit primam cauſſam, quam attulerat Erutius, quod Sex. Roſcius a patre in prædia ruſtica relegatus fuiſſet: qua in parte præſertim elucet ingenium Ciceronis in honeſtanda hac relegatione, in arguendo Erutio, in commemorandis vitæ ruſticæ laudibus.* In xix. *alteram cauſſam perſequitur, quod vellet eum Pater exheredare: cui tertiam conjungit, quod nec pater, nec alius quiſquam in civitate eum convivio exciperet. Sed hanc brevi reſponſione tamquam nugatoriam eludit, & in una exheredandi voluntate conſiſtit. Hanc porro funditus evertit urgendo per vehementem interrogationem, & oſtendendo nec cauſſam, nec conſilium exheredandi probari poſſe.* In xx. *per digreſſionem irridet accuſatores Erutio ſimiles, comparatque anſeribus & canibus Capitolii.* In xxi. *illuſtri hypotypoſi deſcribit negligentiam ac ſummam fiduciam Erutii in hac agenda cauſſa.* In xxii. *diſputat de cauſſis, quæ debent afferri*

 ad

ad probandum parricidium, quas probat debere eſſe graviſſimas, & manifeſtiſſimas; a teſtimonio naturæ uſque ad cap. XXIII. *ab exemplo* uſque ad cap. XXIV. *ab auctoritate Poetarum, & fabularum ſignificatione* uſque ad cap. XXV. *a Solonis dicto, & Romanorum legibus de parricidarum ſupplicio* uſque ad cap. XXVII. *Inde alteram partem argumenti, quæ eſt de facultate occidendi, perſequitur* uſque ad cap. XXX. *& quidem* in cap. XXVII. *probat Sex. Roſcium non potuiſſe per ſe ipſum occidere patrem:* In XXVIII. *oſtendit non potuiſſe per alios ſive ſervos, ſive liberos:* In XXIX. *diluit fundamentum adverſariorum, qui fieri potuiſſe probaverant ex multitudine Sicariorum. Unde etiam argumentum ducit in adverſarios ipſos, per quos, & a quibus homines occidebantur.*

CXIV. * Occidiſſe patrem Sex. Roſcius arguitur: ſcelestum, dii immortales, ac nefarium facinus, atque ejuſmodi, quo uno maleficio ſcelera omnia complexa eſſe videantur. Etenim ſi, id quod præclare a ſapientibus dicitur, vultu ſæpe læditur pietas; quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipſum, ſi res poſtularet, jura divina atque humana cogebant? In hoc tanto, tam atroci, tam ſingulari maleficio, quod ita raro extitit, ut, ſi quando auditum ſit, portenti ac prodigii ſimile numeretur, quibus tandem te, C. Eruti, argumentis accuſatorem cenſes uti oportere? Non ne & audaciam ejus, qui

complexa) paſſive. V. Ind.

vultu) etiam torvo aſpectu læditur pietas in parentes.

qui in crimen vocetur, ſingularem oſtendere, & mores feros, immanemque naturam, & vitam vitiis flagitiiſque omnibus deditam, & denique omnia ad perniciem profligata atque perdita? quorum tu nihil in Sex. Roſcium, ne objiciendi quidem cauſſa, contuliſti. Patrem occidit Sex. Roſcius. Qui homo? Adoleſcentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? Annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet ſicarius, homo audax, & ſæpe in cæde verſatus? At hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis. Luxuries igitur hominem nimirum, & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates ad hoc ſcelus impulerunt. De luxuria purgavit Erutius, cum dixit hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuiſſe. Nihil autem umquam debuit. Cupiditates porro quæ poſſunt eſſe in eo, qui, ut ipſe accuſator objecit, ruri ſemper habitarit, & in agro colendo vixerit? quæ vita maxime disjuncta a cupiditate, & cum officio conjuncta. Quæ res igitur tantum iſtum furorem Sex. Roſcio objecit? Patri, inquit, non placebat. Patri non placebat? Quam ob cauſſam? Neceſſe eſt enim eam quoque juſtam, & magnam, & perſpicuam fuiſſe. Nam ut illud incredibile eſt, mortem oblatam eſſe patri a filio ſine plurimis

&

ne objiciendi) non ſolum non probaſti, ſed ne objeciſti quidem.

magis quadraginta) ſupra quadraginta. Eſt autem *magis* pro *amplius*: qui uſus animadverſione dignus eſt, cum ceteroquin particula *magis* non referatur natura ſua ad quantitatem. Sed locus non vacat mendi ſuſpicione.

cum officio) cum honeſtate vitæ, & humanitate.

tantum furorem objecit) hoc eſt injecit; quemadmodum dicitur hoc eodem capite *mortem offerre* pro *inferre*.

& maximis cauſſis ; ſic hoc veriſimile non eſt ; odio fuiſſe parenti filium ſine cauſſis multis , & magnis , & neceſſariis . Rurſus igitur eodem revertamur , & quæramus , quæ tanta vitia fuerint in unico filio , quare is patri diſpliceret . At perſpicuum eſt , nullum fuiſſe . Pater igitur amens , qui odiſſet eum ſine cauſſa , quem procrearat . At is quidem fuit omnium conſtantiſſimus . Ergo illud jam perſpicuum profecto eſt , ſi neque amens pater , neque perditus filius fuerit , neque odii cauſſam patri , neque ſceleris filio fuiſſe .
C. XV. * Neſcio , inquit , quæ cauſſa odii fuerit : fuiſſe odium intelligo , quia antea , cum duos filios haberet , illum alterum , qui mortuus eſt , ſecum omni tempore volebat eſſe , hunc in prædia ruſtica relegarat . Quod Erutio accidebat in mala nugatoriaque accuſatione , idem mihi uſuvenit in cauſſa optima . Ille , quo modo crimen commentitium confirmaret , non inveniebat : ego , res tam leves qua ratione infirmem ac diluam , reperire non poſſum . Quid ais Eruti ? Tot prædia , tam pulcra , tam fructuoſa , Sex. Roſcius filio ſuo relegationis ac ſupplicii gratia colenda ac tuenda tradiderat ? Quid hoc ? Patresfamilias , qui liberos habent , præſertim homines illius ordinis , ex municipiis ruſticanis , non-

unico filio) quia alter jam pridem mortuus erat .

conſtantiſſimus) qui cum ſemel filium amaſſet , non poterat voluntatem mutare ſine cauſſa . In tertia Tuſculana , ut obſervat Hotomanus , conſtans opponitur amenti ; quia *qui conſtans eſt , eum neceſſe eſt eſſe quietum , qui quietus , perturbatione omni vacuum ; ergo etiam amentia .*

mala accuſatione) nullo fundamento nixa .

reperire non poſſum) corruunt enim ipſæ per ſe , & evaneſcunt levitate ſua .

illius ordinis) homines ſuo-

nonne optatiſſimum ſibi putant eſse, filios ſuos rei familiari maxime ſervire, & in prædiis colendis operæ plurimum ſtudiique conſumere? At amandarat hunc ſic, ut eſset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam, ut commodis omnibus careret. Quid, ſi conſtat, hunc non modo colendis prædiis præfuiſse, ſed certis fundis, patre vivo, frui ſolitum eſse? Tamen ne hæc attenta vita & ruſticana, relegatio atque amandatio appellabitur? Vides, Eruti, quantum diſtet argumentatio tua ab re ipſa, atque a veritate. Quod conſuetudine patres faciunt, id quaſi novum reprehendis: quod benevolentia fit, id odio factum criminaris: quod honoris cauſsa pater filio ſuo conceſſit, id eum ſupplicii cauſsa feciſse dicis. Neque hæc tu non intelligis, ſed uſque eo, quid arguas, non habes, ut non modo tibi contra nos dicendum putes, verum etiam contra rerum naturam, contraque conſuetudinem hominum, contraque opiniones omnium. * At enim, cum duos filios C. XVI. haberet, alterum a ſe non dimittebat, alterum ruri eſſe patiebatur. Quæſo, Eruti, ut hoc in bonam partem accipias: non enim exprobrandi cauſſa, ſed commonendi gratia dicam. Si tibi fortuna non dedit, ut patre certo naſcerere, ex quo

ſuorum municipiorum nobiliſſimi ac ditiſſimi, qualem fuiſſe Sex. Roſcium dixit cap. 6.

ad villam) ad villæ curam: quaſi villicus futurus eſſet. Hotomanus interpretatur *in villa*, & particulam *ut*, quæ proxime ſequitur, mutat in *&*: Sed non eſt neceſſe.

frui ſolitum) arbitratu ſuo tamquam peculio caſtrenſi.

attenta) diligens & occupata.

patre certo) exprobrat Erutio infamiam matris.

quo intelligere poſſes, qui animus patrius in liberos eſſet: at natura certe dedit, ut humanitatis non parum haberes. Eo acceſſit ſtudium doctrinæ, ut ne a litteris quidem alienus eſſes. Ecquid tandem tibi videtur (ut ad fabulas veniamus) ſenex ille Cæcilianus minoris facere Eutychum filium ruſticum, quam illum alterum Chereſtratum? nam, ut opinor, hoc nomine eſt: alterum in urbe ſecum honoris cauſſa habere, alterum rus ſupplicii cauſſa relegaſſe? Quid ad iſtas ineptias abis, inquies? Quaſi vero mihi difficile ſit quamvis multos nominatim proferre (ne longius abeam) vel tribules, vel vicinos meos, qui ſuos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas aſſiduos eſſe cupiunt. Verum homines notos ſumere odioſum eſt; cum & illud incertum ſit, velintne hi ſeſe nominari; & nemo vobis magis notus futurus ſit, quam eſt hic Eutychus; & certe ad rem nihil interſit, utrum hunc ego comicum adoleſcentem, an aliquem ex agro Vejente nominem. Etenim hæc confiсta arbitror a poetis eſſe, ut effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamque imaginem noſtram vitæ quotidianæ videremus. Age nunc, refer animum,

Cæcilianus) inductus a Cæcilio poeta Comico.

abis) longe a cauſſa.

quamvis multos) quamlibet multos.

aſſiduos) ſic Plautus Trinum. a. 1. ſc. 2. v. 165. *urbanos aſſiduos* appellat, qui in urbe aſſidue verſantur.

quam eſt hic Eutychus) quia Cæcilii fabulæ in omnium manibus erant.

ex agro Vejente) non procul Roma, ubi nunc Inſula Farneſiorum.

imaginem noſtram vitæ) Hotomanus & Lambinus repoſuerunt *imaginem noſtræ &c.*

mum, ſis, ad veritatem; & conſidera, non modo in Umbria, atque in ea vicinitate, ſed in his veteribus municipiis, quæ ſtudia a patribus familias maxime laudentur: jam profecto te intelliges inopia criminum ſummam laudem Sex. Roſcio vitio & culpæ dediſſe. * At non modo hoc patrum voluntate liberi faciunt; ſed permultos & ego novi, &, niſi me fallit animus, unuſquiſque veſtrum, qui & ipſi incenſi ſunt ſtudio, quod ad agrum colendum attinet, vitamque hanc ruſticam, quam tu probro & crimini putas eſſe oportere, & honeſtiſſimam & ſuaviſſimam eſſe arbitrantur. Quid cenſes, hunc ipſum Sex. Roſcium, quo ſtudio & qua intelligentia eſſe in ruſticis rebus? Ut ex his propinquis ejus, hominibus honeſtiſſimis, audio, non tu in iſto artificio accuſatorio callidior es, quam hic in ſuo. Verum, ut opinor, quoniam ita Chryſogono videtur, qui huic nullum prædium reliquit, & artificium obliviſcatur, & ſtudium deponat, licebit: quod tametſi miſerum & indignum eſt, feret tamen æquo animo, judices, ſi per vos vitam, & famam poteſt obtinere. Hoc vero eſt, quod ferri non poteſt, ſi & in hanc calamitatem venit propter prædiorum bonitatem, & multitudinem; & quod ea ſtudioſe coluit, id erit ei maxime fraudi; ut parum miſeriæ ſit, quod aliis C. XVII.

ſis] ſi vis: pertinet autem ad vocem *age*.

Quid cenſes &c., quo ſtudio &c.] conſtructionem hanc Ciceroni familiarem eſſe probant Hotomanus & Manutius ex locis ſimilibus.

propter prædiorum] quia ob cupiditatem horum prædiorum patrem ejus occiderunt, & inter proſcriptos retulerunt.

fraudi] damno. V. Ind.

aliis coluit, non ſibi; niſi etiam, quod omni-
C. XVIII. no coluit, crimini fuerit. * Næ tu, Eruti, accuſator eſſes ridiculus, ſi illis temporibus natus eſſes, cum ab aratro arceſſebantur, qui conſules fierent. Etenim, qui præeſſe agro colendo flagitium putes, profecto illum Atilium, quem ſua manu ſpargentem ſemen, qui miſſi erant, convenerunt, hominem turpiſſimum atque inhoneſtiſſimum judicares. At hercule majores noſtri longe aliter & de illo, & de ceteris talibus viris exiſtimabant: itaque ex minima tenuiſſimaque rep. maximam & florentiſſimam nobis reliquerunt. Suos enim agros ſtudioſe colebant, non alienos cupide appetebant: quibus rebus & agris, & urbibus, & nationibus remp. atque hoc imperium, & populi R. nomen auxerunt. Neque ego hæc eo profero, quo conferenda ſint cum hiſce, de quibus nunc quærimus; ſed ut illud intelligatur, cum apud majores noſtros ſummi viri, clariſſimique homines, qui omni tempore ad gubernacula reip. ſedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operæ temporiſque conſumſerint; ignoſci oportere ei homini, qui ſe fateatur eſſe ruſticum, cum ruri aſſiduus ſemper vixerit; cum præſertim nihil eſſet, quod aut patri gratius, aut ſibi jucundius,

qui miſſi erant] viatores, qui Atilium vocarunt *ad imperium Populi Romani ſuſcipiendum*, ut ſcribit Val. Maximus l. 4. c. 4.

appetebant] tacite carpit Chryſogonum, & Roſcios adverſarios.

cum hiſce] quæ nimis exigua ſunt, & comparatione tantarum rerum non ſatis digna.

cum ruri] Al. *qui ruri*: & quidem aptius.

dius, aut re vera honeſtius facere poſſet. * Odium igitur acerrimum patris in filium ex hoc, opinor, oſtenditur, Eruti, quod hunc ruri eſſe patiebatur. Numquid eſt aliud? Immo vero, inquit, eſt: nam iſtum exheredare in animo habebat. Audio: nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat. Nam illa opinor tu quoque concedis levia eſſe atque inepta. Convivia cum patre non inibat: quippe qui ne in oppidum quidem, niſi perraro, veniret. Domum ſuam iſtum non fere quiſquam vocabat: nec mirum, quem neque in urbe videret, neque rure vocaturus eſſet. Verum hæc tu quoque intelligis eſſe nugatoria. Illud, quod cœpimus, videamus; quo certius argumentum odii reperiri nullo modo poteſt. Exheredare pater filium cogitabat. Mitto quærere, qua de cauſſa; quæro, qui ſcias? Tametſi te dicere, atque enumerare cauſſas omnes oportebat: & id erat certi accuſatoris officium, qui tanti ſceleris argueret, explicare omnia vitia atque peccata filii, C. XIX.

Convivia cum patre non inibat] præter relegationem in prædia ruſtica, præter conſilium exheredationis, accedit tertium ſimultatis indicium, quod una cum patre convivia non frequentaret amicorum. Cui reſpondet illis verbis *quippe qui &c.*

Domum ſuam] cum pater ad convivia vocaretur, filium tamen nemo vocabat, quod neque eum in urbe videret, neque cauſſa eſſet, cur rure evocaret.

quem neque in urbe videret, neque rure vocaturus eſſet] Magnis viris Grutero & Grævio placet lectio Gulielmii in quæſt. Plaut. c. 8. in Amphitr. *qui neque in urbe viveret, neque revocaturus eſſet*. hoc eſt nemo eum invitabat ad convivia, quia neque in urbe vivebat, neque par pari reddere poterat. hoc enim ſenſu ſæpe uſurpantur *voco*, & *revoco*. Martial. l. 3. ep. 27.

Nunquam me revocas, venias cum ſæpe vocatus.

certi] probati & exercitati. V. Ind.

filii, quibus incenſus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipſam vinceret, ut amorem illum penitus inſitum ejiceret ex animo, ut denique patrem ſe eſſe obliviſceretur; quæ ſine magnis hujuſce peccatis accidere potuiſſe non arbitror. Verum concedo tibi, ut ea prætereas, quæ cum taces, nulla eſſe concedis: illum quidem voluiſſe exheredare, certe tu planum facere debes. Quid ergo affers, quare id factum putemus? Vere nihil potes dicere: finge aliquid ſaltem commode, ut ne plane videaris id facere, quod aperte facis, hujus miſeri fortunis, & horum virorum talium dignitati illudere. Exheredare filium voluit: quam ob cauſſam? Neſcio. Exheredavit ne? Non. Quis prohibuit? Cogitabat. Cogitabat? Cui dixit? Nemini. Quid eſt aliud, judicio, ac legibus, ac majeſtate veſtra abuti ad quæſtum, atque ad libidinem, niſi hoc modo accuſare, atque id objicere, quod planum facere non modo non poſſis, verum ne coneris quidem? Nemo noſtrum eſt, Eruti, quin ſciat tibi inimicitias cum Sex. Roſcio nullas eſſe: vident omnes, qua de cauſsa huic inimicus venias: ſciunt hujuſce pecunia te adductum eſse. Quid ergo eſt? Ita tamen quæſtus te cupidum eſse oportebat, ut horum exiſtimationem, & legem

concedo] concedo, ut prætereas cauſam exheredandi; ſed tamen voluntatem probes oportet.

planum facere non poſſis] modus efferendi potentialis, qui non ad Erutium refertur, ſed ad tacitam quamdam perſonam; eſtque idem ac ſi diceretur, *planum fieri non poſſit*. Judices enim alloquitur, ut apparet ex verbis *majeſtate veſtra*.

hujuſce pecunia] Roſcii ipſius. V. cap. 11.

gem Memmiam putares aliquid valere oportere. * Accuſatores multos eſse in civitate utile eſt, ut metu contineatur audacia. Verumtamen hoc ita eſt utile, ut ne plane illudamur ab accuſatoribus. Innocens eſt quiſpiam; verumtamen, quamquam abeſt a culpa, ſuſpicione tamen non caret: tametſi miſerum eſt, tamen ei, qui hunc accuſet, poſſim aliquo modo ignoſcere. Cum enim aliquid habeat, quod poſſit criminoſe, ac ſuſpicioſe dicere, aperte ludificari, & calumniari ſciens non videatur. Quare facile omnes patimur eſſe quamplurimos accuſatores, quod innocens, ſi accuſatus ſit, abſolvi poteſt: nocens, niſi accuſatus fuerit, condemnari non poteſt. Utilius eſt autem abſolvi innocentem, quam nocentem cauſſam non dicere. Anſeribus cibaria publice locantur, & canes aluntur in Capitolio, ut ſignificent, ſi fures venerint. At fures internoſcere non poſſunt, ſignificant tamen, ſi qui noctu in Capitolium venerint: & quia id eſt ſuſpicioſum, C. XX.

Memmiam] de calumniatoribus, ut apud Martianum in l. 1. ad S. C. Turp. Al. *Khemniam*. Al. *Kemiam*. Al. *Kemmiam*.

criminoſe] cum ſpecie criminis.

Utilius eſt abſolvi innocentem] vocari in judicium, & abſolvi.

nocentem cauſſam non dicere] non vocari in judicium, & cogi dicere cauſſam.

Anſeribus] quorum clangore Galli aſcendentes in Capitolium proditi ſunt. Liv. l. 5. c. 47.

canes aluntur in Capitolio] Hoc, inquit Manutius, *nulla traditur hiſtoria*. Itaque etiam Hotomano falſum videtur. Verum quis dubitet de Ciceronis fide? Neque enim quod canes ſilentio ſuo Capitolium ſemel prodidiſſent, idcirco ejiciendi erant, fidiſſimi ceteroquin cuſtodes. Satis pœnarum dabant aliqui eorum quotannis in ſambucea arbore fixi, ut tradit Plinius l. 29. c. 4.

ſum; tametſi beſtiæ ſunt, tamen in eam partem potius peccant, quæ eſt cautior. Quod ſi luce quoque canes latrent; cum deos ſalutatum aliqui venerint; opinor, iis crura ſuffringantur; quod acres ſint etiam tum, cum ſuſpicio nulla ſit. Simillima eſt accuſatorum ratio. Alii veſtrum anſeres ſunt, qui tantummodo clamant, nocere non poſſunt; alii canes, qui & latrare, & mordere poſſunt. Cibaria vobis præberi videmus: vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur. Hoc populo gratiſſimum eſt. Deinde, ſi voletis, etiam tum, cum veriſimile erit aliquem commiſiſſe, in ſuſpicione latratote: id quoque concedi poteſt. Sin autem ſic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidiſſe, neque dicere poſſitis, aut quare, aut quo modo, ac tantummodo ſine ſuſpicione latrabitis; crura quidem vobis nemo ſuffringet; ſed, ſi ego hos bene novi, litteram illam, cui vos uſque eo inimici eſtis, ut etiam alias omnes oderitis, ita ve-

iis crura ſuffringantur] Puteanus putat legendum: *ii cruci ſuffigantur*, quod crux eſſet annuum canis ſupplicium. Sed nihil mutandum, cum etiam paullo inferius habeatur, *crura quidem vobis nemo ſuffringet*: quæ verba huc referenda ſunt. Porro autem, qui cruci ſuffigebantur, iis fere crura frangebantur. V. Ind. *Crura*.

tantummodo clamant] meri rabulæ.

Cibaria vobis præberi] mercedem accuſationis, qualis Erutio præbebatur a Chryſogono & Roſciis.

litteram illam] ſcilicet k, quæ calumniatorum frontibus inurebatur ignominiæ cauſſa. Plinius in Paneg. c. 35. & ibi Lipſius adnot. 296. Erat autem k, quia per hanc litteram ſcribebatur *Kalumnia* a veteribus.

ut etiam alias omnes] notat accuſatores, qui fere illitterati erant. Ludit autem in ambiguo. Lectio hæc, quæ placuit Hotomano, Lambino, & Manutio, non placet Gru-

vehementer ad caput affigent, ut poſtea neminem alium, niſi fortunas veſtras accuſare poſſitis. * Quid mihi ad defendendum dediſti, bone accuſator? quid hiſce autem ad ſuſpicandum? Ne exheredaretur, veritus eſt. Audio: ſed qua de cauſſa vereri debuerit, nemo dicit. Habebat pater in animo. Planum fac. Nihil eſt, non quicum deliberarit, quem certiorem fecerit, unde iſtud vobis ſuſpicari in mentem venerit. Cum hoc modo accuſas, Eruti, non ne hoc palam dicis? Ego, quid acceperim, ſcio: quid dicam, neſcio: unum illud ſpectavi, quod Chryſogonus ajebat, neminem iſti patronum futurum; de bonorum emtione, deque ea ſocietate neminem eſſe, qui verbum facere hoc tempore auderet. Hæc te opinio falſa in iſtam fraudem impulit. Non mehercule verbum feciſſes, ſi tibi quemquam reſponſurum putaſſes. Operæ pretium erat, ſi animadvertiſtis, judices, negligentiam ejus in accuſando conſiderare. Credo, cum vidiſſet, qui homines in hiſce ſubſelliis ſederent, quæſiſſe, num ille, aut ille defenſurus eſſet; de me ne ſuſpicatum quidem, quod C. XXII

Grutero, quod non ſit ex libris, ſed ex conjectura. Grævius legit: *ut eas omnes*. Al. *ut etiam calumniis*. Pighius, & Voſſius putant legendum: *ut etiam Kal. omnes*, hoc eſt *Kalendas omnes*. Oderant autem obærati Kalendas, quod Kalendis ſolvendum eſſet. Unde *triſtes Kalendæ* apud Horat. l. 1. ſat. 3. v. 87.

neminem alium] quia calumnia notatus neminem poterat accuſare.

niſi fortunas veſtras] quia per fas nefaſque collectas ex artificio accuſatorio.

quid acceperim] quantam pecuniam.

num ille, aut ille] particula *aut* pro *an*. Quamquam *num ille aut ille* poteſt ſumi fortaſſe pro uno eodemque membro. V. Ind.

quod antea cauſſam publicam nullam dixerim. Poſteaquam invenit neminem eorum, qui poſſunt, & ſolent; ita negligens eſſe cœpit, ut, cum in mentem veniret ei, reſideret, deinde ſpatiaretur; nonnumquam etiam puerum vocaret, credo cui cœnam imperaret; prorſus ut veſtro conſeſſu & hoc conventu pro ſumma ſolitudine abuteretur. Peroravit aliquando, aſſedit. Surrexi ego. Reſpirare viſus eſt, quod non alius potius diceret. Cœpi dicere. Uſque eo animadverti, judices, eum jocari, atque alias res agere, ante quam Chryſogonum nominavi: quem ſimul atque attigi, ſtatim homo ſe erexit, mirari viſus eſt. Intellexi, quid eum pupugiſſet: iterum ac tertio nominavi. Poſtea homines curſare ultro & citro non deſtiterunt, credo, qui Chryſogono nunciarent, eſſe aliquem in civitate, qui contra voluntatem ejus dicere auderet; aliter cauſſam agi, atque ille exiſtimaret; aperiri bonorum emtionem, vexari peſſime ſocietatem, gratiam potentiamque ejus negligi, judices diligenter attendere, populo rem indignam videri. Quæ quoniam te fefellerunt, Eruti; quoniamque vides verſa eſſe omnia; cauſſam pro Sex. Roſcio ſi non commode, at libere dici; quem dedi putabas, defendi intelligis; quos tradituros ſperabas, vides judicare: reſtitue nobis aliquando veterem tuam illam calliditatem atque prudentiam: confitere huc ea ſpe ve-

puerum] ſervum.

pupugiſſet] Al. pepugiſſet.

ſi non commode] ſi non apte.

tradituros] Sex. Roſcium adverſariis.

confitere] Huic voci Hotomanus præponit particulam *aut*, ut conſtet ſenſus, qui talis eſſe videtur: *utere tua illa*

venisse, quod putares hic latrocinium, non judicium futurum. * De parricidio cauſſa dicitur: C. XXII. ratio ab accuſatore reddita non eſt, quam ob cauſsam patrem filius occiderit. Quod in minimis noxis, & in his levioribus peccatis, quæ magis crebra & jam prope quotidiana ſunt, maxime & primum quæritur, quæ cauſſa maleficii fuerit; id Erutius in parricidio quæri non putat oportere: in quo ſcelere, judices, etiam cum multæ cauſſæ conveniſſe unum in locum, atque inter ſe congruere videntur; tamen non temere creditur; neque levi conjectura res penditur; neque teſtis incertus auditur; neque accuſatoris ingenio res judicatur: cum multa antea commiſſa maleficia, tum vita hominis perditiſſima, tum ſingularis audacia oſtendatur, neceſſe eſt; neque audacia ſolum, ſed ſummus furor atque amentia. Hæc cum ſint omnia, tamen extent oportet expreſſa ſceleris veſtigia, ubi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium ſit admiſſum: quæ niſi multa, & manifeſta ſunt; profecto res tam ſceleſta, tam atrox, tam nefaria credi non poteſt. Magna eſt enim vis huma-

la vetere calliditate, aut confitere &c. Sed quia repugnant manuſcripta omnia, non probat Grævius Hotomani conjecturam; nec tamen expedit ſenſum. Ego ita interpretor: Dic aliquid nunc demum dignum te: confitere te antea oſcitanter egiſſe, quod putares &c. Nam viri callidi & prudentes potius confitentur, ſe rerum eventu deceptos fuiſſe, quam ignavia aut imperitia peccaſſe.

veniſſe] deeſt caſus agens te. V. Ind. *Infinitivus.*

latrocinium] *latrocinium*, & *furtum* ſæpe pro *fraude* & *inſidiis* uſurpantur. Sic Saluſtius de bello Jug. cap. 4. *Furtim, & per latrocinia ad honores niti.*

teſtis incertus] de cujus fide dubitari poſſit.

per quos] Al. *propter quos.*

manitatis ; multum valet communio ſanguinis ; reclamitat iſtiuſmodi ſuſpicionibus ipſa natura ; portentum atque monſtrum certiſſimum eſt, eſſe aliquem humana ſpecie & figura , qui tantum immanitate beſtias vicerit, ut propter quos hanc ſuaviſſimam lucem aſpexerit, eos indigniſſime luce privarit ; cum etiam feras inter ſeſe partus atque educatio, & natura ipſa conciliet.

C.XXIII. * Non ita multis ante annis ajunt T. Clœlium quendam Tarracinenſem , hominem non obſcurum , cum cœnatus cubitum in idem conclave cum duobus adoleſcentibus filiis iſſet, inventum eſſe mane jugulatum . Cum neque ſervus quiſquam reperiretur , neque liber , ad quem ea ſuſpicio pertineret ; id ætatis autem duo filii propter cubantes ne ſenſiſſe quidem ſe dicerent ; nomina filiorum de parricidio delata ſunt. Quid poſtea? Erat ſane ſuſpicioſum. Neutrum ſenſiſſe? Auſum autem eſſe quemquam ſe in id conclave committere , eo potiſſimum tempore , cum ibidem eſſent duo adoleſcentes filii, qui & ſentire, & defendere facile poſſent? Erat porro nemo, in quem ea ſuſpicio conveniret. Tamen, cum planum judicibus eſset factum, aperto oſtio dormientes eos repertos eſse , judicio abſoluti adoleſcentes , & ſuſpicione omni liberati ſunt . Nemo enim putabat quemquam eſse, qui, cum omnia divina atque humana jura ſcelere nefa-

rio

Clælium] Hotomanus ex Val. Maximo colligit legendum eſſe *Cælium*: idem cenſet Muretus.

Tarracinenſem] Al. *Terracinenſem*.

Quid poſtea ? erat ſane ſuſpicioſum. Neutrum ſenſiſſe ? Auſum autem &c.) Al. *Quid poterat enim tam ſuſpicioſum eſſe, aut neutrum ſenſiſſe, aut auſum &c.*

rio polluiſset, ſomnum ſtatim capere potuiſset: propterea quod qui tantum facinus commiſerunt, non modo ſine cura quieſcere, ſed ne ſpirare quidem ſine metu poſsunt. * Videtis ne, quos C. XXIV. nobis poetæ tradiderunt patris ulciſcendi cauſſa ſupplicium de matre ſumſiſſe, cum præſertim deorum immortalium juſſis atque oraculis id feciſſe dicantur; tamen ut eos agitent furiæ, neque conſiſtere uſquam patiantur? quod ne pii quidem ſine ſcelere eſse potuerunt. Sic ſe res habet, judices: magnam vim, magnam neceſſitatem, magnam poſſidet religionem paternus, maternuſque ſanguis. Ex quo, ſi qua macula concepta eſt, non modo elui non poteſt, verum uſque eo permanat ad animum, ut ſummus furor atque amentia conſequatur. Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumero videtis, eos, qui aliquid impie ſceleratequе commiſerint, agitari & perterreri furiarum tedis ardentibus. Sua quemque fraus; & ſuus terror maxime vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas a conſceleratiſſimis filiis repetant. Hæc magnitudo maleficii facit, ut niſi pæne manifeſtum parricidium pro-

ſe-

quos nobis poetæ] Oreſtem, & Alcmæonem; de quibus vide Mythologos.

ne pii quidem] Videbantur enim pii, cum juſſis Deorum parerent, & patrem ulciſcerentur.

neceſſitatem] neceſſitudinem, conjunctionem.

conſcientiæ animi] caſus pluralis animadverſione dignus, quamvis apud Ciceronem non ſemel inveniatur.

ſeratur, credibile non ſit; niſi turpis adoleſcentia, niſi omnibus flagitiis vita inquinata, niſi ſumtus effuſi cum probro atque dedecore, niſi prorupta audacia, niſi tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab inſania. Accedat huc oportet odium parentis, animadverſionis paternæ metus, amici improbi, ſervi conſcii, tempus idoneum, locus opportune captus ad eam rem: pæne dicam, reſperſas manus ſanguine paterno judices videant, oportet, ſi tantum facinus, tam immane, tam acerbum credituri
C. XXV. ſunt. * Quare hoc, quo minus eſt credibile, niſi oſtenditur; eo magis eſt, ſi convincitur, vindicandum. Itaque cum multis ex rebus intelligi poteſt, majores noſtros non modo armis plus, quam ceteras nationes, verum etiam conſilio ſapientiaque potuiſſe, tum ex hac re vel maxime, quod in impios ſingulare ſupplicium invenerunt. Qua in re quantum prudentia præſtiterint iis, qui apud ceteros ſapientiſſimi fuiſſe dicuntur, conſiderate. Prudentiſſima civitas Athenienſium, dum ea rerum potita eſt, fuiſse traditur. Ejus porro civitatis ſapientiſſimum Solonem dicunt fuiſse, eum, qui leges, quibus hodie quoque utuntur, ſcripſerit. Is cum interrogaretur, cur nullum ſupplicium conſtituiſset in eum, qui parentem necaſset; reſpondit, ſe id neminem facturum putaſse. Sapienter feciſse dicitur, cum de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſsum non erat: ne non tam

in impios ſingulare ſupplicium] *impios* dicit, h. e. parricidas, quod pietas ſit in patrem & patriam. Ita paullo poſt, *ſupplicium in parricidas ſingulare*.

rerum potita eſt.] libertatem & imperium obtinuit.

tam prohibere, quam admonere videretur. Quanto majores noſtri ſapientius; qui, cum intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia: ſupplicium in parricidas ſingulare excogitaverunt, ut, quos natura ipſa retinere in officio non potuiſſet; ii magnitudine pœnæ maleficio ſummoverentur. Inſui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen dejici. * O ſingularem ſapien- C.XXVI.
tiam, judices! Non ne videntur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe & eripuiſſe, cui repente cœlum, ſolem, aquam, terramque ademerunt? ut, qui eum necaſſet, unde ipſe natus eſſet, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur. Noluerunt feris corpus objicere, ne beſtiis quoque, quæ tantum ſcelus attigiſſent, immanioribus uteremur: non ſic nudos in flumen dejicere, ne, cum delati eſſent in mare, ipſum polluerent, quo cetera, quæ violata ſunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare eſt, cujus partem ullam reliquerint. Etenim quid tam eſt commune,

quam

admonere] qui enim ſupplicium conſtituit in aliquod ſcelus, admonet, ſcelus illud committi poſſe.

inſui voluerunt in culeum] Modeſtinus in l. 9. D. de parricid. ait, inſui conſueviſſe cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia. Sed non fortaſſe tempore Ciceronis: non enim omiſiſſet, quæ vim argumenti augere poterant. De hoc ſupplicii genere mentio eſt in lib. 1. ad Herenn. c. 13. & in lib. 2. de Inven. c. 50. ubi verba legis recitantur.

quo cetera quæ violata &c.) quantæ ſit virtutis marina aqua ad expiandum, vide Cœlium Rhodig. lect. ant. l. 11. c. 22. ex quo hoc Euripidis carmen ſumimus.

Θάλασσα κλύζει πάντα τὰ
ἀνθρώπων κακά.

Mare abluit omnia hominum
mala.

Etenim quid eſt tam commune] Locum hunc attente lege; qui, ut ipſe in Oratore

 c. 30.

quam ſpiritus vivis? terra mortuis? mare fluctuantibus? littus ejectis? Ita vivunt, dum poſſunt, ut ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur: ita poſtremo ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant. Tanti maleficii crimen, cui maleficio tam inſigne ſupplicium eſt conſtitutum, probare te, Eruti, cenſes poſſe talibus viris, ſi ne cauſſam quidem maleficii protuleris? Si hunc apud bonorum emtores ipſos accuſares, eique judicio Chryſogonus præeſſet; tamen diligentius paratiuſque veniſſes. Utrum, quid agatur, non vides; an apud quos agatur? Agitur de parricidio: quod ſine multis cauſſis ſuſcipi non poteſt. Apud homines autem prudentiſſimos agitur: qui intelligunt neminem ne minimum quidem maleficium ſine cauſſa admit-
C.XXVII. tere. * Eſto: cauſſam proferre non potes. Tametſi ſtatim viciſſe debeo, tamen de meo jure decedam, & tibi, quod in alia cauſſa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia. Non quæro abs te, quare patrem Sex. Roſcius occiderit: quæro, quo modo occiderit.

c. 30. teſtatur, magnis clamoribus a Populo Romano exceptus eſt, tamquam inſigniter elegans. Idem ipſe tamen, ut in adoleſcente, non ut in viro, laudandum putat.

ſpiritus vivis] hoc nomine aerem intelligit: quo ea ſunt referenda, quæ ſequuntur, *ducere animam de cælo*, vulgo, *reſpirar l'aria*.

alluantur] Al. *abluantur*. quod unum Grævio probatur. Ego cum Hotomano retineo *alluantur*. Non enim mirum eſt, ut putat Grævius, parricidas in mare delatos marinis aquis non purgari, ſed marinis aquis non allui.

rit. Ita quæro abs te, C. Eruti, quo modo, & ſic tecum agam, ut in eo loco vel reſpondendi, vel interpellandi tibi poteſtatem faciam, vel etiam, ſi quid voles, interrogandi. Quo modo occidit? Ipſe percuſſit, an aliis occidendum dedit? Si ipſum arguis: Romæ non fuit. Si per alios feciſſe dicis: quæro, ſervos ne, an liberos? quos homines? indidem ne Ameria, an hoſce ex urbe ſicarios? Si Ameria, qui ſunt hi? cur non nominantur? Si Roma, unde eos noverat Roſcius? qui Romam multis annis non venit, neque umquam plus triduo fuit. Ubi eos convenit? quicum locutus eſt? quo modo perſuaſit? Pretium dedit? Cui dedit? per quem dedit? unde, aut quantum dedit? Non ne his veſtigiis ad caput maleficii perveniri ſolet? Et ſimul tibi in mentem veniat facito, quemadmodum vitam hujuſce depinxeris: hunc hominem ferum atque agreſtem fuiſſe: numquam cum homine quoquam collocutum eſſe: numquam in oppido conſtitiſſe. Qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad hujus innocentiam poterat eſſe; in ruſticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaque vita, iſtiuſmodi maleficia gigni non ſolere. Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro re-

Ita quæro abs te, C. Eruti, quomodo] Ful. Urſinus legit ex antiquo libro: *Itaque abs te, C. Eruti, quæro.*

in eo loco] in ſubſelliis accuſatorum, ut explicat Manutius. Ego malim, in eo loco orationis meæ.

interpellandi] Ital. *d' interrompere.*

indidem] ex eadem Sex. Roſcii patria.

unde] unde pecuniam hanc ſumſit.

his veſtigiis] metaphora a venatoribus ducta.

in oppido] neque Ameriæ, neque Romæ.

reperire poſſis : ſic non omne facinus in omni vita naſcitur. In urbe luxuries creatur ; ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt, ex avaritia erumpat audacia ; inde omnia ſcelera ac maleficia gignuntur. Vita autem hæc ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniæ, diligen-
C.XXVIII. tiæ, juſtitiæ magiſtra eſt. * Verum hæc miſſa facio : illud quæro, is homo, qui, ut tute dicis, numquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, abſens præſertim conficere potuerit. Multa ſunt falſa, judices, quæ tamen argui ſuſpicioſe poſſunt: in his rebus ſi ſuſpicio reperta erit, culpam ineſſe concedam. Romæ Sex. Roſcius occiditur, cum in agro Amerino eſſet filius. Litteras, credo, miſit alicui ſicario, qui Romæ noverat neminem. Arceſſivit aliquem: at quando? Nuncium miſit : quem ? aut ad quem? Pretio, gratia, ſpe, promiſſis induxit aliquem : nihil horum ne confingi quidem poteſt ; & tamen cauſſa de parricidio dicitur. Reliquum eſt, ut per ſervos id admiſerit. O dii immortales, rem miſeram & calamitoſam? Quod in tali crimine innocenti ſaluti ſolet eſſe, ut ſervos in quæſtionem polliceatur ; id Sex. Roſcio facere non licet. Vos, qui hunc accuſatis, omnes ejus ſervos habetis; unus puer, victus quotidiani adminiſter, ex tanta familia Sex. Roſcio relictus non eſt, Te nunc appello, P. Scipio, te, Metelle : vobis advocatis, vobis agentibus, aliquoties duos ſervos paternos in quæſtionem ab ad-

vobis advocatis] advocati dicebantur, qui aderant reo præſentia ſua & patrocinio.

adverſariis Sex. Roſcius poſtulavit. Meminiſtis ne, T. Roſcium recuſare? Quid? ii ſervi ubi ſunt? Chryſogonum, judices, ſectantur; apud eum ſunt in honore, & in pretio. Etiam nunc, ut ex his quæratur, ego poſtulo, hic orat atque obſecrat. Quid facitis? Cur recuſatis? Dubitate etiam nunc, judices, ſi poteſtis, a quo ſit Sex. Roſcius occiſus: ab eo ne, qui propter illius mortem in egeſtate & inſidiis verſatur; cui ne quærendi quidem de morte patris poteſtas permittitur; an ab iis, qui quæſtionem fugitant, bona poſſident, in cæde atque ex cæde vivunt? Omnia, judices, in hac cauſſa ſunt miſera atque indigna: tamen hoc nihil neque acerbius, neque iniquius proferri poteſt: mortis paternæ de ſervis paternis quæſtionem habere filio non licet: ne tam diu quidem dominus erit in ſuos, dum ex iis de patris morte quæratur. Veniam, neque ita multo poſt, ad hunc locum. Nam hoc totum ad Roſcios pertinet: de quorum audacia tum me dicturum pollicitus ſum, cum Erutii crimina diluiſſem. * C.XXIX.
Nunc, Eruti, ad te venio. Conveniat mihi tecum, neceſſe eſt; ſi ad hunc maleficium iſtud pertinet, aut ipſum ſua manu feciſſe, id, quod negas; aut per aliquos liberos, aut ſervos. Liberos ne? quos neque ut convenire potuerit, neque qua ratione inducere, neque ubi, neque per quos, neque qua ſpe, aut quo pretio, pot-

es

Meminiſtis ne, T. Roſcium] Al. *meminiſti ne, te T. Roſci*. *apud eum ſunt in honore & in pretio*] ne proderent auctores cædis. V. cap. 41.

in cæde atque ex cæde vivunt] quia ſicarii ſunt & ſectores, ut eſt in cap. ſequenti.

es oſtendere. Ego contra oſtendo, non modo nihil eorum feciſſe Sex. Roſcium, ſed ne potuiſſe quidem facere; quod neque Romæ multis annis fuerit; neque de prædiis umquam temere diſceſſerit. Reſtare tibi videbatur ſervorum nomen, quo, quaſi in portum, rejectus a ceteris ſuſpicionibus, confugere poſſes: ubi ſcopulum offendis ejuſmodi, ut non modo ab hoc crimen reſilire videas, verum omnem ſuſpicionem in voſmetipſos recidere intelligas. Quid eſt ergo, quo tamdem accuſator inopia argumentorum confugerit? Ejuſmodi tempus erat, inquit, ut homines vulgo impune occiderentur: quare tu hoc, propter multitudinem ſicariorum, nullo negotio facere potuiſti. Interim mihi videris, Eruti, una mercede duas res aſſequi velle, nos judicio perfundere, accuſare autem eos ipſos, a quibus mercedem accepiſti. Quid ais? Vulgo occidebantur? per quos?

neque de prædiis temere] magna tantum de cauſſa, ideoque raro diſcedebat.

Ejuſmodi tempus] tempus Syllanarum proſcriptionum.

una mercede] hic *merces operæ* ſumitur pro opera ipſa, ut putat Hotomanus. Quod ut credam, valde me movet verbum *aſſequi*, non ratio ipſa; quæ ab Hotomano affertur. Non male tamen interpretabitur, ut opinor, qui dicat *τῷ mercede* referri ad verba illa, *a quibus mercedem accepiſti*; itaque eadem ſignificatione uſurpari. Pulcritudo enim figuræ in eo eſt, quod mercede Chryſogoni Chryſogonum accuſet,

nos judicio perfundere] ſpeciem quandam judicii nobis offundere, re vera autem eos accuſare &c. Eſt enim hoc in loco *perfundere* quaſi leviter aſpergere; qua ſignificatione uſurpatur *perfuſorius* a Seneca epiſt. 23. *Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfuſoriam voluptatem*. Species igitur exterior judicii hujus offundebatur Sexto Roſcio; ratio & vis interior tota videbatur in adverſarios converſa.

quos? & a quibus? Non ne cogitas te a ſectoribus huc adductum eſse? Quid poſtea? Neſcimus, per iſta tempora eoſdem fere ſectores fuiſse collorum & bonorum? Ii denique, qui tum armati dies noctesque concurſabant, qui Romæ erant aſſidui, qui omni tempore in præda & ſanguine verſabantur, Sex. Roſcio temporis illius acerbitatem iniquitatemque objicient? Et illam ſicariorum multitudinem, in qua ipſi duces ac principes erant, huic crimini putabunt fore? qui non modo Romæ non fuit, ſed omnino, quid Romæ ageretur, neſciret; propterea quod ruri aſſiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit. Vereor, ne aut moleſtus ſim vobis, judices, aut ne ingeniis veſtris videar diffidere, ſi de tam perſpicuis rebus diutius diſseram. Erutii criminatio tota, ut arbitror, diſsoluta eſt: niſi forte expectatis, ut illa diluam, quæ de peculatu, ac de ejuſmodi rebus commentitiis, inaudita nobis ante hoc tempus ac nova objecit: quæ mihi iſte viſus eſt ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ita neque ad crimen parricidii, neque ad eum, qui cauſsam dicit, pertinebant; de quibus quoniam verbo arguit, verbo ſatis eſt negare. Si quid eſt, quod ad teſtes reſervet; ibi nos quo-

a ſectoribus] ab iis, qui proſcriptorum bona emebant, qualis erat Chryſogonus.

ſectores collorum & bonorum] quia, ut ait Manutius, quos occidebant, eorum bona tamquam proſcriptorum emebant. Ideo autem colla ſecabantur, ut capita in roſtra deferrentur. Ludit Orator in ambigua hujus vocis ſignificatione, de qua in Ind.

de peculatu] de furto publicæ pecuniæ. V. Ind.

quoque, ut in ipſa cauſsa, paratiores reperiet, quam putabat.

CONFIRMATIONIS

PARS II.

ADverſarii Sex. Roſcii habuerunt cauſſam, & facultatem illius occidendi; ergo occiderunt. Primam partem de cauſſa occidendi probat, quia cædes hæc utilis futura erat adverſariis, quippe egentibus & avaris; quod confirmatur ex occupatione bonorum, quæ cædem conſecuta eſt; & quia etiam ad eos hæc cædes pertinebat, quippe audaces, & Sex. Roſcii inimicos, uſque ad cap. XXXII. *Ubique autem animadvertenda eſt perpetua comparatio cauſſarum cum cauſſis, ut ex illo Caſſiano*, cui bono fuerit, *oſtendat utiliſſimam fuiſſe cædem adverſariis, incommodam Clienti ſuo*. In Cap. XXXII. uſque ad cap. XXXIII. *carpit Erutium, qui nunc demum videtur bonus accuſator, quia idonei accuſatores cæde Syllana ſublati ſunt.*

In altera argumenti parte, quæ eſt de facultate occidendi, probat per comparationem, Sex. Roſcium facilius potuiſſe occidi a T. Magno, qui Romæ erat, quam a filio, qui aberat: facilius a T. Magno, qui & Sicarius, & Sicariis amicus, quam a filio agricola & ruſtico, uſq. ad cap. XXXIV.

In XXXIV. *omiſſa comparatione, totam orationem convertit in adverſarios, oſtenditque a conſequentibus, eos fuiſſe auctores cædis*, 1. *quia Glaucia familiaris T. Magni miſſus eſt Ameriam nuncius de cæde hac ad Capitonem*; 2. *quia celerrime miſſus eſt*; 3. *quia hac una de cauſſa miſſus eſt*. In XXXV.

ſu-

ſuſpicionem confirmat , 1. *quia Capito tres fundos occiſi Roſcii occupavit ;* 2. *quia multos alios & ferro & veneno ſuſtulit* . In XXXVI. *exprobrat audaciam Capitoni, quod paratus eſſet in hac cauſſa teſtimonium dicere ; Magno , quod præſens adeſſet in ſubſelliis accuſatorum* . In XXXVII. *pergit urgere adverſarios a conſequentibus* , 1. *quia ſtatim nunciatur hæc cædes Chryſogono ad Volaterras ;* 2. *quia Chryſogonus ſtatim curat, ut bona veneant ;* 3. *quia partem tribuit Capitoni & Magno* . In XXXVIII. XXXIX. & XL. *unicum tractat argumentum de proditione legationis ad Syllam miſſæ , ubi duo ſunt inſignia loca de mandato, & ſocietate violata : unde colligit tamquam ex ſigno, ſuſpicionem hujus cædis omnino cadere in Capitonem*. In XLI. *aggreditur Magnum , & hunc ipſum ex inſita improbitate & crudelitate in ſocietatem flagitii trahit, eo præſertim quod noluerit ſervos Sex. Roſcii in quæſtionem dare. Sed quia ſervi iſti dicebantur eſſe cum Chryſogono*, In cap. XLII. *avertit ab eo ſuſpicionem cædis, aitque nihil Chryſogonum ad hoc flagitium contuliſſe, niſi auctoritatem & patrocinium*.

* Venio nunc eo, quo me non cupiditas ducit , ſed fides . Nam ſi mihi liberet accuſare , accuſarem alios potius , ex quibus poſſem creſcere : quod certum eſt non facere , dum utrumvis licebit . Is enim mihi videtur ampliſſimus , qui ſua virtute in altiorem locum pervenit, non qui aſcendit per alterius incommodum & calami- C. XXX.

ex quibus poſſem creſcere] quia nobiles accuſationes viam aperiebant ad honores, ut eſt in Divinatione ſub fin. *utrumvis*] accuſare , aut defendere .

mitatem. Deſinamus aliquando ea ſcrutari, quæ ſunt inania: quæramus, ubi maleficium & eſt, & inveniri poteſt. Jam intelliges, Eruti, certum crimen quam multis ſuſpicionibus coarguatur. Tametſi neque omnia dicam, & leviter unumquodque tangam. Neque enim id facerem, niſi neceſſe eſſet: & id erit ſigni me invitum facere, quod non proſequar longius, quam ſalus hujus & mea fides poſtulabit. Cauſſam tu nullam reperiebas in Sex. Roſcio: at ego in T. Roſcio reperio. Tecum enim mihi res eſt, T. Roſci, quoniam iſtic ſedes, ac te palam adverſarium eſſe profiteris. De Capitone viderimus, ſi, quemadmodum paratum eſſe audio, teſtis prodierit. Tum alias quoque ſuas palmas cognoſcet, de quibus me ne audiſſe quidem ſuſpicatur. L. Caſſius ille, quem Populus Rom. veriſſimum & ſapientiſſimum judicem putabat, identidem in cauſſis quærere ſolebat, cui bono fuiſſet. Sic vita hominum eſt, ut ad maleficium nemo conetur ſine ſpe atque emolumento accedere. Hunc quæſitorem ac judicem fugiebant atque horrebant ii, quibus periculum creabatur: ideo quod, tametſi veritatis erat amicus, tamen natura non tam propenſus ad miſericordiam, quam incli-

palmas] cædes. Palma dabatur gladiatoribus adverſarios occidentibus. Itaque cum Capitonem ſuperius gladiatorem appellaſſet, non diſcedit a figura.

Lucius Caſſius] de ejus integritate & ſeveritate in judicando vide Val. Maximum l.3.c.7. & Aſconium in Miloniana c. 12.

veriſſimum judicem] veritatis maxime ſtudioſum & amicum, juſtiſſimum. Ita *verum* pro æquo & juſto uſurpatur, quod vide in Ind.

cui bono fuiſſet] cui utile fuiſſet maleficium. De hoc Caſſiano dicto vide orat. pro Mil. c. 12. & ibi Aſconium.

clinatus ad ſeveritatem videbatur. Ego, quamquam præeſt huic quæſtioni vir & contra audaciam fortiſſimus, & ab innocentia clementiſſimus, tamen facile me paterer, vel illo ipſo acerrimo judice quærente, vel apud Caſſianos judices, quorum etiam nunc ii, quibus cauſſa dicenda eſt, nomen ipſum reformidant, pro Sex. Roſcio dicere. In hac enim cauſſa cum viderent illos ampliſſimam pecuniam poſſidere, hunc in ſumma mendicitate eſſe, illud quidem non quærerent, cui bono fuiſſet; ſed & perſpicuum crimen & ſuſpicionem potius ad prædam adjungerent, quam ad egeſtatem. * Quid, C. XXXI. ſi accedit eodem, ut tenuis antea fueris? quid, ſi ut avarus? quid, ſi ut audax? quid, ſi ut illius, qui occiſus eſt, inimiciſſimus? Num quærenda cauſſa, quæ te ad tantum facinus adduxerit? Quid ergo horum negari poteſt? Tenuitas hominis ejuſmodi eſt, ut diſſimulari non queat, atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. Avaritiam præfers, qui ſocietatem coieris de municipis cognatique fortunis cum alieniſſimo. Quam ſis audax, (ut alia obliviſcar) hinc omnes intelligere potuerunt, quod ex tota ſocietate, hoc eſt ex tot ſicariis, ſolus tu inventus es, qui cum accuſatoribus ſederes, at-

ab innocentia clementiſſimus) h. e. ut explicat Hotomanus, in cauſſa innocentium. Repugnat Grævius, & putat *ab innocentia* idem eſſe ac propter ſuam innocentiam. Ego ſto ab Hotomano, primum quia nemo eſt clemens in alios, quia ipſe integer: deinde quia membrum hoc debet opponi alteri *contra audaciam fortiſſimus*; igitur *erga innocentiam clementiſſimus*.

præfers) malim *præ te fers*, ut in Manuſcripto F. Urſini.

cum alieniſſimo] cum Chryſogono.

atque os tuum non modo oſtenderes, ſed etiam offerres. Inimicitias tibi fuiſse cum Sex. Roſcio, & magnas rei familiaris controverſias, concedas neceſse eſt. Reſtat, judices, ut hoc dubitemus, uter potius Sex. Roſcium occiderit; is, ad quem morte ejus divitiæ venerint; an is, ad quem mendicitas: is, qui antea tenuis fuerit; an is, qui poſtea factus ſit egentiſſimus: is, qui ardens avaritia feratur infeſtus in ſuos; an is, qui ſemper ita vixerit, ut quæſtum noſset nullum, fructum autem eum ſolum, quem labore peperiſset: is, qui omnium ſectorum audaciſſimus ſit; an is, qui propter fori judiciorumque inſolentiam, non modo ſubſellia, verum etiam urbem ipſam reformidat: poſtremo, judices, id quod ad rem mea ſententia maxime pertinet, utrum inimicus potius,
C. XXXII. an filius. * Hæc tu, Eruti, tot & tanta ſi nactus eſses in reo, quam diu diceres? quo te modo jactares? Tempus hercule te citius, quam oratio deficeret. Etenim in ſingulis rebus ejuſmodi materies eſt, ut dies ſingulos poſſis conſumere: neque ego non poſsum; non enim mihi tantum derogo, tametſi nihil arrogo, ut te copioſius, quam me, putem poſse dicere. Verum ego forſitan propter multitudinem patronorum in grege annumerer: te pugna Cannenſis

dubitemus] conſideremus. quæ ſignificatio confirmatur ab Hotomano ex illo Virg. l. 9. v. 190. — *percipe porro quid dubitem, & quæ nunc animo ſententia ſurgat.*

quæſtum) Tuſcul. 5. cap. 31. *quæſtuoſa mercatura, fructuoſa aratio dicitur.*

inſolentiam] inſuetudinem.

in grege] in turba minus nobili.

pugna Cannenſis] V. Animadv. II.

ſienſis accuſatorem ſat bonum facit. Multos cæſos non ad Thraſymenum lacum, ſed ad Servilium vidimus. *Quis ibi non eſt vulneratus ferro Phrygio?* Non neceſſe eſt omnes commemorare, Curtios, Marios, denique Mamercos, quos jam ætas a præliis avocabat; poſtremo Priamum ipſum, ſenem Antiſtium, quem non modo ætas, ſed etiam leges pugnare prohibebant. Jam quos nemo propter ignobilitatem no-

ad Thraſymenum] anno ante Cannenſem pugnam Romanus exercitus cæſus eſt ab Annibale ad lacum Thraſymenum, cujus hic Orator mentionem facit, quia videtur reſpondere *lacui Servilio* in ipſa urbe Roma, ubi multa civium millia a Sylla trucidata ſunt, eorumque capita publice expoſita. Unde lacus ille *proſcriptionis Syllanæ ſpoliarium* dicitur a Seneca lib. de provid. c. 3.

Quis non eſt vulneratus ferro Phrygio?] Verba ſunt Uliſſis apud Ennium [ut ſcribit vetus ſcholiaſtes] excuſantis ſe, quod vulneratus ex pugna fugiſſet in Achillis tentorium. Porro *Phrygium* dicit ferrum Syllæ, vel ea de cauſſa ut mores ejus notet: Phryges quippe impuri & flagitioſi.

Curtios, Marios, Mamercos] celeberrimos ejus ætatis accuſatores. F. Urſinus pro *Mamercos* legendum putat *Memmios* claros ea ætate accuſatores, de quibus Cicero in Bruto c. 36. Conjecturam ejus probabiliorem facit vetus liber, in quo *Memmeos*.

a præliis avocabat] ideoque non quia pugnare, ſed quia accuſare poterant, occiſi ſunt. Vacatio a militia ob ætatem dabatur quinquagenariis. Hotomanus putat, intelligendum id eſſe de præliis forenſibus: quaſi dicat non oportuiſſe eos occidi, qui jam ob ætatem effœtam judiciis abſtinebant.

Priamum] non oblitus ferri Phrygii, Priamo comparat Antiſtium. Uterque ſenectute ſumma occiſus eſt, cum nocere nemini poſſet.

leges pugnare prohibebant] ſi de præliis forenſibus totus hic locus explicandus eſt, notat ſenem Antiſtium tamquam ignominia affectum, aut turpi judicio damnatum; nam, ut obſervat Hotomanus ex Ulpiano, hujuſmodi perſonæ *removebantur a poſtulando*. Sin de præliis militaribus, notat in Antiſtio morbum, aut vitium aliquod eorum, quæ arcebant a militia. Nam, ut oſtendit Lipſius de mil. Rom. l. 1. dial. 4. manci, debiles, & ii, quibus digiti omnes, vel etiam ſoli

nominat, ſexcenti ſunt, qui inter ſicarios, & de veneficiis accuſabant: qui omnes, quod ad me attinet, vellem viverent. Nihil enim mali eſt, canes ibi quamplurimos eſſe, ubi permulti obſervandi, multaque ſervanda ſunt. Verum, ut fit, multa ſæpe, imprudentibus imperatoribus, vis belli ac turba molitur. Dum is in aliis rebus erat occupatus, qui ſummam rerum adminiſtrabat; erant interea, qui ſuis vulneribus mederentur; qui, tamquam ſi offuſa reipubl. ſempiterna nox eſſet, ita ruebant in tenebris, omniaque miſcebant: a quibus miror, ne quod judiciorum eſſet veſtigium, non ſubſellia quoque eſſe combuſta: nam & accuſatores & judices ſuſtulerunt. Hoc commodi eſt, quod ita vixerunt, ut teſtes omnes, ſi cuperent, interficere non poſſent. Nam, dum hominum genus erit, qui accuſet eos, non deerit: dum civitas erit, judicia fient. Verum, ut cœpi dicere, & Erutius, hæc ſi haberet in cauſſa, quæ commemoravi, poſſet ea quamvis diu dicere, & ego, judices, poſſum: ſed in animo eſt, quemadmodum ante dixi, leviter tranſire; ac tantummodo perſtringere unamquamque rem; ut omnes intelligant, me non ſtudio accuſare, ſed officio defendere.

ſoli pollices deeſſent, excluſi ſunt.

inter ſicarios] lege Cornelia de ſicariis. Vide formulam eamdem c. 5.

imprudentibus imperatoribus] excuſat Syllam, quaſi ipſe non ſenſerit, tantam optimorum civium ſtragem fieri.

ſuis vulneribus mederentur] eos tollerent de medio, a quibus ſibi aliquid timebant, vel quorum interitu rem ſuam familiarem creſcere poſſe putabant.

quam vis diu) quantumvis longa oratione.

officio) de quo in exordio.

re. * Video igitur cauſſas eſſe permultas, quæ C.XXXIII.
iſtum impellerent : videamus nunc, ecquæ facultas ſuſcipiendi maleficii fuerit. Ubi occiſus eſt Sex. Roſcius? Romæ. Quid? tu, Roſci, ubi tunc eras? Romæ. Verum quid ad rem? & alii multi. Quaſi nunc id agatur, quis ex tanta multitudine occiderit; ac non hoc quæratur, eum, qui Romæ ſit occiſus, utrum veriſimilius ſit ab eo eſſe occiſum, qui aſſiduus eo tempore Romæ fuerit; an ab eo, qui multis annis Romam omnino non acceſſerit. Age nunc, ceteras facultates quoque conſideremus. Erat tum multitudo ſicariorum, id quod commemoravit Erutius; & homines impune occidebantur. Quid? ea multitudo quæ erat? Opinor, aut eorum, qui in bonis erant occupati: aut eorum, qui ab iis conducebantur, ut aliquem occiderent. Si eos putas, qui alienum appetebant; tu es in eo numero, qui noſtra pecunia dives es. Sin eos, quos, qui leviore nomine appellant, percuſſores vocant; quære, in cujus fide ſint & clientela: mihi crede, aliquem de ſocietate tua reperies. Et quidquid tu contra dixeris, id cum defenſione noſtra contendito: ita facillime cauſſa Sex. Roſcii cum tua conferetur. Dices: quid poſtea, ſi Romæ aſſiduus fui? Reſpondebo: at ego omnino non fui. Fateor me ſectorem eſse;

qui in bonis erant occupati) in bonis occiſorum diripiendis.

ab iis conducebantur] Sectores bonorum impellebant percuſſores ad cædes, mercede propoſita.

aliquem de ſocietate tua] ideſt Chryſogonum, in cujus clientela erant ſicarii, quia eorum opera utebatur.

eſſe ; verum & alii multi . At ego , ut tute arguis , agricola & ruſticus . Non continuo , ſi me in gregem ſicariorum contuli , ſum ſicarius . At ego profecto , qui ne novi quidem quemquam ſicarium , longe abſum ab ejuſmodi crimine . Permulta ſunt , quæ dici poſſunt, quare intelligatur, ſummam tibi facultatem fuiſſe maleficii ſuſcipiendi : quæ non modo iccirco prætereo , quod te ipſum non libenter accuſo ; verum eo magis etiam , quod, ſi de illis cædibus velim commemorare , quæ tum factæ ſunt iſta eadem ratione , qua Sex. Roſcius occiſus eſt , vereor ne ad plures ora-
C.XXXIV. tio mea pertinere videatur . * Videamus nunc ſtrictim , ſicut cetera , quæ poſt mortem Sex. Roſcii abs te , T. Roſci , facta ſunt ; quæ ita aperta & manifeſta ſunt , ut medius fidius , judices , invitus ea dicam . Vereor enim , cuicuimodi es , Roſci , ne ita hunc videar voluiſſe ſervare , ut tibi omnino non pepercerim. Cum hoc vereor , & cupio tibi aliqua ex parte , quod ſalva fide poſſim , parcere ; rurſus immuto voluntatem meam . Venit enim mihi in mentem oris tui . Te ne , cum ceteri ſocii tui fugerent , ac ſe occultarent , ut hoc judicium non de illorum præda , ſed de hujus maleficio fieri videretur ; potiſſimum tibi partes iſtas depopoſciſſe, ut in judicio verſarere , & ſederes cum accuſatore ? qua in re nihil aliud aſſequeris , niſi ut ab omnibus mortalibus audacia tua cognoſcatur

&

cuicuimodi es] qualiſcumque es, ſive nocens, ſive innocens.

oris tui] tuæ impudentiæ.

& impudentia. Occiſo Sex. Roſcio, qui primus Ameriam nunciat? Manlius Glaucia, quem jam antea nominavi, tuus cliens & familiaris. Quid attinuit eum id potiſſimum nunciare, quod, ſi nullum jam ante conſilium de morte ac de bonis ejus inieras, nullamque ſocietatem neque ſceleris neque præmii cum homine ullo coieras, ad te minime omnium pertinebat? Sua ſponte Manlius nunciat? Quid, quæſo, ejus intererat? An cum Ameriam non hujuſce rei cauſſa veniſſet, caſu accidit, ut id, quod Romæ audierat, primus nunciaret? Cujus rei cauſsa venerat Ameriam? Non poſſum, inquit, divinare. Eo rem jam adducam, ut nihil divinatione opus ſit. Qua ratione Roſcio Capitoni primum nunciavit? Cum Ameriæ Sex. Roſcii domus, uxor, liberique eſſent, cum tot propinqui cognatique optime convenientes; qua ratione factum eſt, ut iſte tuus cliens, ſceleris tui nuncius, T. Roſcio Capitoni potiſſimum nunciaret? Occiſus eſt a cœna rediens: nondum lucebat, cum Ameriæ ſcitum eſt. Quid hic incredibilis curſus? quid hæc tanta celeritas feſtinatioque ſignificat? Non quæro, quis percuſserit. Nihil eſt, Glaucia, quod metuas: non excutio te, ſi quid forte ferri habuiſti; non ſcrutor; nihil ad me arbitror pertinere. Quoniam, cujus conſilio occiſus ſit, invenio; cujus manu ſit percuſsus, non

eum id potiſſimum] ideſt eum nunciare id, quod pertinebat ad te minime omnium.

optime convenientes] amore & conſuetudine conjuncti: vulgo, *di buona corriſpondenza.*

ſiquid forte ferri) ſi forte ſicam habuiſti.

non laboro. Unum hoc ſumo, quod mihi apertum tuum ſcelus reſque manifeſta dat. Ubi, aut unde audivit Glaucia, qui tam cito ſcivit? Fac audiſse ſtatim. Quæ res eum nocte una tantum itineris contendere coegit? Quæ neceſſitas eum tanta premebat, ut, ſi ſua ſponte iter Ameriam faceret, id temporis Roma proficiſceretur, nullam partem no-
c.xxxv. ctis requieſceret? * Etiam ne in tam perſpicuis rebus argumentatio quærenda, aut conjectura capienda ſit? Non ne vobis hæc, quæ audiſtis, cernere oculis videmini, judices? Non illum miſerum, ignarum caſus ſui, redeuntem a cœna videtis? Non poſitas inſidias? non impetum repentinum? non verſatur ante oculos vobis in cæde Glaucia? Non adeſt iſte T. Roſcius? Non ſuis manibus in curru collocat Automedontem illum, ſui ſceleris acerbiſſimi, nefariæque victoriæ nuncium? Non orat, ut eam noctem pervigilet? ut honoris ſui cauſſa laboret? ut Capitoni quamprimum nunciet? Quid erat, quod Capitonem primum ſcire voluerit? Neſcio: niſi hoc video, Capitonem in his bonis eſse ſocium; de tribus & decem fundis tres nobiliſſimos fundos eum video poſſidere. Audio præterea, non hanc ſuſpicionem nunc primum in Capitonem con-

Fac audiſſe) finge eum audiſſe, *Facio* hac ſignificatione regit infinitum modum.
premebat] urgebat.
Automedontem) ſic appellat Glauciam ob itineris hujus celeritatem. Fuit autem Automedon Achillis auriga, qui equos velociſſimos Zephyri filios agebat.
niſi hoc video) *niſi* pro *dumtaxat*.

conferri, multas eſse infames palmas, hanc primam eſse tamen lemniſcatam, quæ Romæ deferatur: nullum modum eſse hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit: multos ferro, multos veneno. Habeo etiam dicere, quem, contra morem majorum, minorem annis LX. de ponte in Tyberim dejecerit: quæ, ſi prodierit, atque adeo cum prodierit, ſcio enim proditurum eſse, audiet. * Veniat modo, explicet ſuum volumen illud, quod ei planum facere poſsum, Erutium conſcripſiſse; quod ajunt illum Sex. Roſcio intentaſse; & minitatum eſse, ſe omnia illa pro teſtimonio eſse dicturum. O præclarum teſtem, judices: o gravitatem dignam expectatione: o vitam honeſtam, atque ejuſmodi, ut libentibus animis ad ejus teſtimonium veſtrum jusjurandum accom- C. XXXVI.

infames palmas] multos occidiſſe. Sumptum a palmis gladiatoriis.

lemniſcatam) nobiliſſimam, quia lemniſcis, hoc eſt faſciolis, ornatam. Solebant autem & coronæ, & palmæ ad majorem honorem lemniſcis ornari. quam in rem Menardus affert Auſonii locum epiſt. 20. ad Paulinum, verſ. 6.

Et quæ jamdudum tibi palma poetica pollet,
Lemniſco ornata eſt, quo mea palma caret.

quæ Romæ deferatur) ubi Roſcium occidit.

Habeo etiam dicere) *Habeo* pro *poſſum*. Vide Ind.

de ponte in Tyberim dejecerit] aliquem T. Capito in Tyberim de ponte præcipitaverit. Qua in re jocatur Cicero, quod, ut docet Varro apud Nonium, c. 12. n. 22. *Sexagenarii de ponte dejicerentur*. Dejici porro dicebantur, quia tamquam cives effœti a ſuffragiis ferendis more majorum arcebantur. Hinc ſenes *depontani* dicti. Suffragia autem per pontem ferri conſueviſſe notiſſimum eſt. Vide Sigonium de ant. jure civ. Rom. l. 1. c. 17.

ſuum volumen) Erutius dictaverat Capitoni verba, quæ pro teſtimonio diceret; eaque Capito Sex. Roſcio minitatus fuerat.

jusjurandum accommodetis] vos jurati ex ejus teſtimonio judicetis.

commodetis. Profecto non tam perſpicue iſtorum maleficia videremus, niſi ipſos cæcos redderet cupiditas, & avaritia, & audacia. Alter ex ipſa cæde volucrem nuncium Ameriam ad ſocium atque ad magiſtrum ſuum miſit: ut, ſi diſſimulare omnes cuperent ſe ſcire, ad quem maleficium pertineret, tamen ipſe apertum ſuum ſcelus ante omnium oculos poneret. Alter, ſi diis immortalibus placet, teſtimonium etiam in Sex. Roſcium dicturus eſt: quaſi vero id nunc agatur, utrum id, quod dixerit, credendum, an, quod fecerit, vindicandum ſit. Itaque more majorum comparatum eſt, ut in minimis rebus homines ampliſſimi teſtimonium de ſua re non dicerent. Africanus, qui ſuo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum ſe ſubegiſse, tamen, ſi ſua res ageretur, teſtimonium non diceret. Nam illud in talem virum non audeo dicere: ſi diceret, non crederetur. Videte nunc, quam verſa & mutata in pejorem partem ſint omnia. Cum de bonis, & de cæde agatur, teſtimonium dicturus eſt is, qui & ſector eſt, & ſicarius, hoc eſt, qui & illorum ipſorum bonorum, de quibus agitur, emtor at-

Alter ex ipſa) T. Magnus.

ad magiſtrum] ad laniſtam.

Alter, ſi diis] T. Capito.

teſtimonium de ſua re) *nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur*. Pompon. l. 10. D. de teſtibus.

Africanus) minor, ut ait Manutius, qui Carthaginem evertit, non major, qui ſtipendiariam fecit. Huic enim addi ſolet, *ille Major*.

tertiam orbis partem) Africam, unam ex tribus Orbis partibus notis antiquitati.

ſicarius] Hinc colligitur Sicarium dici non ſolum qui hominem occidit, ſed etiam qui occidendum curat. Vide Ind.

atque poſseſsor eſt, & eum hominem occidendum curavit, de cujus morte quæritur. Quid tu, vir optime? Ecquid habes, quod dicas? mihi auſculta: vide ne tibi deſis: tua quoque res permagna agitur. Multa ſcelerate, multa audacter, multa improbe feciſti, unum ſtultiſſime, profecto tua ſponte, non de Erutii ſententia. Nihil opus fuit te iſtic ſedere. Neque enim accuſatore muto, neque teſte quiſquam utitur eo, qui de accuſatoris ſubſellio ſurgit. Huc accedit, quod paullo tamen occultior atque tectior veſtra iſta cupiditas eſset. Nunc quid eſt, quod quiſquam ex vobis audire deſideret; cum quæ facitis, ejuſmodi ſint, ut ea dedita opera a vobis contra voſmetipſos facere videamini? * Age, nunc illa c.xxxvii.
videamus, judices, quæ ſtatim conſecuta ſunt. Ad Volaterras in caſtra L. Syllæ mors Sex. Roſcii quatriduo, quo is occiſus eſt, Chryſogono nunciatur. Quæritur etiam nunc, quis

eum

vir optime) T. Magne.

mihi auſculta) *bada a ciò, ch' io dico*. Vide Indic.

audacter) Al. *audaciter*.

te iſtic ſedere) In Mſſ. omnibus habetur: *te iſti credere*; ſed profecto mendoſe, ut omnes interpretes affirmant.

accuſatore muto) non potes eſſe accuſator, quia mutus; non teſtis, quia ſedes in accuſatorum ſubſelliis.

paullo tamen] particulam *tamen* video a multis abeſſe. Fortaſſe ſublata eſt, quod vacare videretur; ſed ita adhiberi ſolet elegantiſſime tum a Cicerone, tum ab aliis. Vide Ind.

a vobis contra voſmetipſos facere) Lambinus legit *a nobis*, hoc eſt *pro nobis*. Eum Grævius & fere omnes ſequuntur. Ego retineo vulgatam lectionem. Eſt enim *a vobis*, quaſi *ex vobis*, *ſponte veſtra*: quemadmodum Græci dicunt ἀφ' ὑμῶν; ut in Joannis Euang. c. 18. n. 34. ἀφ' ἑαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις, ἢ ἄλλοι σοι εἶπον; *a temetipſo hoc dicis, an alii tibi dixerunt?* Simile videtur illud Cic. de orat. l. 1. c. 24. *videar non ipſe aliquid a me promſiſſe, ſed fortuito in ſermonem veſtrum incidiſſe*. Vide Ind.

eum nuncium miſerit? Non ne perſpicuum eſt, eumdem, qui Ameriam? Curat Chryſogonus, ut ejus bona veneant ſtatim, qui non norat hominem, aut rem: atque ei venit in mentem prædia concupiſcere hominis ignoti, quem omnino numquam viderat. Soletis, cum aliquid hujuſmodi auditis, judices, continuo dicere: neceſse eſt aliquem dixiſse municipem, aut vicinum: ii plerumque indicant; per eos plerique produntur. Hic nihil eſt, quod ſuſpicionem hanc putetis. Non enim ego ita diſputabo: veriſimile eſt Roſcios iſtam rem ad Chryſogonum detuliſse. Erat enim eis cum Chryſogono jam antea amicitia. Nam cum multos veteres a majoribus Roſcii patronos hoſpiteſque haberent, omnes eos colere atque obſervare deſtiterunt, ac ſe in Chryſogoni fidem & clientelam contulerunt. Hæc poſsum omnia vere dicere: ſed in hac cauſsa conjectura nihil opus eſt. Ipſos certo ſcio non negare, ad hæc bona Chryſogonum acceſſiſse impulſu ſuo. Si eum, qui indicii partem acceperit, oculis cernetis, poteritis ne dubitare, judices, qui indicarit? Qui ſunt igitur in iſtis bonis, quibus partem Chryſogonus dederit? Duo Roſcii. Num quiſnam prætera? Nemo eſt, judices. Num ergo dubium eſt, quin ii ob-

Curat Chryſogonus &c.) ita mihi videtur legendus hic locus ſine interrogatione uſque ad vocem *ſoletis*. Eſt enim perpetua ironia. Quidam ita legunt: *Curat Chryſogonus ut ejus bona veneant ſtatim. Qui non norat hominem aut rem? At qui* &c.? Non improbo.

ut ejus bona veneant) tamquam bona hominis proſcripti.

indicii partem) partem bonorum indicatorum.

ii obtulerint hanc prædam Chryſogono, qui
ab eo partem prædæ tulerunt? Age nunc ex
ipſius Chryſogoni judicio Roſciorum factum
conſideremus. Si nihil in iſta pugna Roſcii,
quod operæ pretium eſſet, fecerant, quam ob
cauſſam a Chryſogono tantis præmiis dona-
bantur? Si nihil aliud fecerunt, niſi rem de-
tulerunt; nonne ſatis fuit his gratias agi?
denique, ut perliberaliter ageretur, honoris
aliquid haberi? Cur tria prædia, tantæ pecu-
niæ ſtatim Capitoni dantur? Cur, quæ reli-
qua ſunt, iſte Roſcius omnia cum Chryſogo-
no communiter poſſidet? Nonne perſpicuum
eſt, judices, has manubias Roſciis Chryſogo-
num, re cognita, conceſſiſſe? * Venit in De- C.XXXVIII.
cemprimis legatus in caſtra Capito. Totam
vitam, naturam, moreſque hominis ex ipſa
legatione cognoſcite: niſi intellexeritis, judi-
ces, nullum eſſe officium, nullum jus tam ſan-
ctum atque integrum, quod non ejus ſcelus
atque perfidia violarit & imminuerit; virum
optimum eſſe eum judicatote. Impedimento eſt,
quo minus de his rebus Sylla doceatur: cete-
rorum legatorum conſilia & voluntatem Chry-
ſogono enunciat: monet, ut provideat, ne
palam res agatur: oſtendit, ſi ſublata ſit ven-
ditio bonorum, illum pecuniam grandem a-
miſ-

honoris aliquid) aliquid mercedis. Sumitur enim *honor* aliquando pro *præmio*, commodo, utilitate, ſic apud Juriſperitos.: *cum onere & honore*.

tantæ pecuniæ) caſus continuatus, ut appellant Grammatici. Non enim hic *pecuniæ* pro nummis ſumuntur.

ne palam res &c.) ne manifeſtum fiat, qua de cauſſa legati Amerinorum venerint in caſtra. Vide c. 9.

Digitized by Google

miſſurum, ſeſe capitis periculum aditurum: illum acuere; hos, qui ſimul erant miſſi, fallere: illum identidem monere, ut caveret; hiſce inſidioſe ſpem falſam oſtendere: cum illo contra hos inire conſilia; horum conſilia illi enunciare: cum illo partem ſuam depaciſci; hiſce, aliqua fretus hora ſemper, omnes aditus ad Syllam intercludere: poſtremo, iſto hortatore, auctore, interceſſore ad Syllam legati non adierunt: iſtius fide, ac potius perfidia decepti (id quod ex ipſis cognoſcere poteritis, ſi accuſator voluerit teſtimonium eis denunciare) pro re certa ſpem
C. XXXIX. falſam domum retulerunt. * In privatis rebus ſi qui rem mandatam non modo malitioſius geſſiſſet, ſui quæſtus aut commodi cauſſa, verum etiam negligentius, eum majores ſummum admiſiſſe dedecus exiſtimabant. Itaque mandati conſtitutum eſt judicium, non minus turpe, quam furti; credo propterea, quod quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponitur: quam qui lædit, oppugnat omnium commune præſidium, & quantum in ipſo eſt, diſturbat vitæ ſocietatem. Non enim poſ-

aliqua fretus hora) aliquo fretus Syllæ impedimento in ſingulas horas confitto. Vide Animadv. III.

interceſſore) impediente. Sic Tribuni pl. intercedere, hoc eſt impedire dicuntur.

teſtimonium eis denunciare] non ipſe Cicero denunciat; quia is tantum poterat denunciare, qui debebat probare, hoc eſt actor.

admiſiſſe dedecus] admiſiſſe culpam, ex qua ſummum dedecus ſequeretur.

non minus turpe) quia utrique conjuncta eſt infamiæ pœna. l. 1. & 6. §. *mandati*, D. *de iis, qui notantur infamia.*

poſſumus omnia per nos agere: alius in alia eſt re magis utilis: iccirco amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Quid recipis mandatum, ſi aut neglecturus, aut ad tuum commodum converſurus es? Cur mihi te offers, ac meis commodis officio ſimulato officis, & obſtas? Recede de medio; per alium tranſigam. Suſcipis onus officii, quod te putas ſuſtinere poſſe; quod minime videtur grave iis, qui minime ipſi leves ſunt. Ergo iccirco turpis hæc culpa eſt, quod duas res ſanctiſſimas violat, amicitiam, & fidem. Nam neque mandat quiſquam fere, niſi amico; neque credit, niſi ei, quem fidelem putat. Perditiſſimi eſt igitur hominis, ſimul & amicitiam diſſolvere, & fallere eum, qui læſus non eſſet, niſi crediſſet. Ita ne eſt? In minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpiſſimo judicio condemnetur, neceſſe eſt: in re tanta, cum is, cui fama mortui, fortunæ vivi commendatæ ſunt atque concreditæ, ignominia mortuum affecerit, * * * is inter hone-

Recede de medio) Abi hinc. Vide Ind.

Suſcipis onus &c.) per exprobrationem diluit tacitam prolepſim; aitque mandati onus nec grave eſſe niſi hominibus levibus, nec viſum eſſe grave ipſi ſuſcipienti. Sed quam vereor, ne deſit aliquid! Non enim ſatis videtur Tulliano more expreſſa ſententia. Certe hæc Oratio graviſſimas paſſa eſt calamitates ab hoc præſertim capite uſque ad finem.

fama mortui) Sex. Roſcii, qui habitus fuerat tamquam proſcriptus.

fortunæ vivi] Roſcii filii, cujus bona nefarie occupata fuerant.

* * *) Non eſt dubitandum, quin deſit hic membrum reſpondens *fortunis vivi*, ut optimi inter interpretes obſervarunt: v. g. *vivum ad egeſtatem redegerit*, aut aliquid ſimile.

neſtos homines, atque adeo inter vivos numerabitur? in minimis privatiſque rebus etiam negligentia in crimen mandati, judiciique infamiam revocatur; propterea quod, ſi recte fiat, illum negligere oporteat, qui mandarit, non illum, qui mandatum receperit: in re tanta, quæ publice geſta atque commiſſa ſit, qui non negligentia privatum aliquod commodum læſerit, ſed perfidia legationis ipſius cærimoniam polluerit, maculaque affecerit, qua is tandem pœna afficietur? aut quo judicio damnabitur? Si hanc ei rem privatim Sex. Roſcius mandaviſſet, ut cum Chryſogono tranſigeret, atque decideret; inque eam rem fidem ſuam, ſi quid opus eſſe putaret, interponeret: ille, qui ſeſe facturum recepiſset, nonne, ſi ex eo negotio tantulum in rem ſuam convertiſſet, damnatus per arbitrum, & rem reſtitueret, & honeſtatem omnem amitteret?

Nunc

inter viros] quia hujus criminis reus non modo ex honeſtorum hominum, ſed etiam vivorum numero expungendus eſt, ut ſcribit Grævius. Gruterus legit *juſtos*: Hotomanus *viros*. Fortaſſe legendum *homines*, quam repetitionem cum exſcriptor aliquis non caperet, repoſuit *viros*. Niſi dicere malimus deeſſe *bonos*, & legendum eſſe, *inter bonos viros*. Nam paullo poſt hæc habentur: *Qui ſocium fefelliſſet, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere*.

etiam negligentia] cum omittitur negligendo, quod omittendum non erat.

judiciique infamiam.) Alii aliter legunt. V. Animadv. IV.

ſi recte fiat) ſi ratione fiat. Imo hæc ipſa verba ſunt in edit. 1472.

cærimoniam) religionem. Sic dicitur *cærimonia ſepulcrorum* a Cic. Tuſcul. 1. c. 12.

inque eam rem fidem ſuam) promitteret nomine Sex. Roſcii omnia, quæ opus eſſent.

per arbitrum] Judicia bonæ fidei, quale erat judicium mandati, dicebantur *arbitria*, judex vero *arbiter*.

honeſtatem omnem amitteret] famam & exiſtimationem. Sic

apud

Nunc non hanc ei rem Sex. Roſcius mandavit, ſed, id quod multo gravius eſt, ipſe Sex. Roſcius cum fama, vita; boniſque omnibus a decurionibus publice Roſcio mandatus eſt: & ex eo T. Roſcius non paullum neſcio quid in rem ſuam convertit, ſed hunc funditus evertit bonis: ipſe tria prædia ſibi depactus eſt; voluntatem decurionum ac municipum omnium tantidem, quanti fidem ſuam, fecit. * Videte jam porro cetera, judices, ut c. XL. intelligatis fingi maleficium nullum poſse, quo iſte ſeſe non contaminarit. In rebus minoribus ſocium fallere turpiſſimum eſt, æqueque turpe atque illud, de quo ante dixi: neque injuria: propterea quod auxilium ſibi ſe putat adjunxiſse, qui cum altero rem communicavit. Ad cujus igitur fidem confugiet, cum per ejus fidem læditur, cui ſe commiſerit? Atqui ea ſunt animadvertenda peccata maxime, quæ difficillime præcaventur. Tecti eſse ad alienos poſsumus: intimi multa apertiora videant neceſse eſt: ſocium vero cavere qui poſ-

apud Arnobium l. 1. adverſ. Gen. *Fabularum actores inhoneſtos eſſe jura voluerunt*. hoc eſt infames.

publice Roſcio] ideſt Capitoni. Sed vox *Roſcio*, ut mihi videtur, redundat; & ab aliquo ſciolo addita margini eſt ad explicationem, poſtea in contextum ab exſcriptoribus recepta.

In rebus minoribus] Tranſit ad judicium pro ſocio; quia Capito legationis ſocios feſellerat.

æqueque] adverte concurſum moleſtum ejuſdem ſyllabæ.

atque illud) Mandati. Hoc enim quoque infamia ſequitur l. 1. D. *de iis, qui notantur infamia*.

ea ſunt animadvertenda) cognoſcenda ad punitionem.

Tecti eſſe ad alienos) alienis tegere poſſumus conſilia noſtra. Dicit autem *ad alienos*, hoc eſt *quod attinet ad alienos*, ſeu *apud alienos*. Vide Animadv. V.

poſſumus ? quem etiam ſi metuimus, jus officii lædimus. Recte igitur majores eum, qui ſocium fefelliſset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. At vero T. Roſcius non unum rei pecuniariæ ſocium fefellit; quod tametſi grave eſt, tamen aliquo modo poſse ferri videtur: verum novem homines honeſtiſſimos, ejuſdem muneris, legationis, officii, mandatorumque ſocios, induxit, decepit, deſtituit, adverſariis tradidit, omni fraude & perfidia fefellit. Qui de ejus ſcelere ſuſpicari nihil potuerunt, ſocium officii metuere non debuerunt; ejus malitiam non viderunt; orationi vanæ crediderunt. Itaque nunc illi homines honeſtiſſimi propter iſtius inſidias parum putantur cauti providique fuiſse: iſte, qui initio proditor fuit, deinde perfuga; qui primo ſociorum conſilia adverſariis enunciavit, deinde ſocietatem cum ipſis adverſariis coiit; terret etiam nos ac minatur, tribus prædiis, hoc eſt præmiis ſceleris, ornatus. In ejuſmodi vita, judices, in his tot tantiſque flagitiis hoc quoque maleficium, de quo judicium eſt, reperietis. Etenim quærere ita debetis: ubi multa avare, multa audacter, multa improbe, multa perfidioſe facta videtis, ibi ſcelus quoque

jus officii lædimus] quia de ejus fide dubitare nefas eſt.

in virorum bonorum numero] quia damnatus turpi judicio infamis fit. Solebat autem Romæ honeſtus quilibet civis nominari cum hac honoris præfatione, *vir bonus & honeſtus*; quemadmodum Athenis καλὸς κἀγαθὸς, ut Menardus animadvertit.

proditor, deinde perfuga] primum prodidit ſocios; deinde aperte tranſiit ad Chryſogonum adverſarium.

ibi ſcelus) *Ibi id ſcelus*, le-

que latere inter illa tot flagitia putatote. Tametſi hoc quidem minime latet; quod ita promtum & propoſitum eſt, ut non ex illis maleficiis, quæ in illo conſtat eſse, hoc intelligatur; verum ex hoc, etiam ſi quod illorum forte dubitabitur, convincatur. * Quid C. XLI.
tandem, quæſo, judices? Num aut ille laniſta omnino jam a gladiis receſſiſse videtur, aut hic diſcipulus magiſtro tantulum de arte concedere? Par eſt avaritia, ſimilis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia. Etenim, quoniam fidem magiſtri cognoſtis, cognoſcite nunc diſcipuli æquitatem. Dixi jam antea, ſæpenumero poſtulatos eſse ab iſtis duos ſervos in quæſtionem: tu ſemper, T. Roſci, recuſaſti. Quæro abs te, ii ne qui poſtulabant, indigni erant, qui impetrarent; an iſte non commovebat, pro quo poſtulabant? an res ipſa tibi iniqua videbatur? Poſtulabant homines nobiliſſimi atque integerrimi noſtræ civitatis, quos jam antea nominavi; qui ita vixe-

legendum putat Grævius, & quidem recte.

ita promtum &c.) ita patet.

ille laniſta] T. Capito.

a gladiis receſſiſſe] MSS. & antiquiores editiones habent *a gladiatore ceſſiſſe*. Itaque Manutius ſuſpicatur legendum *a gladiatura ceſſiſſe*, hoc eſt ab arte gladiatoria, quemadmodum dicimus *ab armis cedere*. Grævius ſecutus Gruterum legit *a Gladiatore receſſiſſe*; quæ emendatio oritur ex repetitione ſyllabæ *re* ſane probabili. Dicit autem *recedere a Gladiatore*, hoc eſt *a gladiatoris perſona*.

aut hic diſcipulus] T. Magnus. Al. *aut is*. Al. *aut iſte*.

gemina] ſimilis omnino, quales ſunt *Gemini*.

fidem magiſtri] malam Capitonis fidem, qui legationem prodidit.

diſcipuli æquitatem) Roſcii magni iniquitatem, qui ſervos in quæſtionem dare non vult.

homines nobiliſſimi] Metelli, & Scipiones, de quibus cap. 28.

xerunt, taleſque a Populo R. putantur, ut, quidquid dicerent, nemo eſset, qui non æquum putaret: poſtulabant autem pro homine miſerrimo atque infeliciſſimo; qui vel ipſe ſeſe in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quæreretur. Res porro abs te ejuſmodi poſtulabatur, ut nihil intereſset, utrum eam rem recuſares, an de maleficio confiterere. Quæ cum ita ſint, quæro abs te, quam ob cauſſam recuſaris. Cum occiditur Sex. Roſcius, ibidem fuerunt. Servos ipſos, quod ad me attinet, neque arguo, neque purgo: quod a vobis hoc pugnari video, ne in quæſtionem dentur, ſuſpicioſum eſt: quod vero apud vos ipſos in honore tanto ſunt, profecto neceſse eſt, ſciant aliquid, quod ſi dixerint, pernicioſum vobis futurum ſit. In dominos quæri de ſervis, iniquum eſt. An ne quæritur? Sextus enim Roſcius reus eſt: neque enim, cum de hoc quæritur, vos dominos eſſe dicitis. Cum Chryſogono ſunt. Ita credo: lit-

in honore tanto ſunt] Idem cap. 28.

In dominos quæri de ſervis, iniquum eſt] ita excuſant ſe adverſarii, quod ſervos non tradant in quæſtionem. Quod quidem multis legibus confirmari poteſt, ſed præſertim l. 1. & 9. & 18. D. *de quæſtionibus*.

Anne quæritur?) ideſt non quæritur in dominos; quia neque Sex. Roſcius amplius dominus eſt, neque vos dominos eſſe fatemini. Ergo ſive in illum, ſive in vos quæratur, non quæritur in dominos.

neque enim) otioſa eſt vox *enim*, ut animadvertit Hotomanus. Si tamen retineri debet, deſideratur aliquid ante *neque*: v. g. *vos domini. Imo ne vos quidem domini: neque enim &c.* F. Urſinus in veteri libro invenit *dominum* pro *dominos*. Ita fortaſſe & conſtructio, & ſententia aptiſſima eſt.

cum de hoc quæritur) cum quæritur, quinam ſint domini.

Cum Chryſogono ſunt) Altera adverſariorum excuſatio,

litteris eorum & urbanitate Chryſogonus ducitur, ut inter ſuos omnium deliciarum atque omnium artium puerulos, ex tot elegantiſſimis familiis lectos, velit hos verſari, homines pene operarios, ex Amerina diſciplina patrisfamiliæ ruſticani. Non eſt ita profecto, judices; non eſt veriſimile, ut Chryſogonus horum litteras adamarit; aut humanitatem; non, ut rei familiaris negotio diligentiam cognorit eorum & fidem. eſt quiddam, quod occultatur: quod quo ſtudioſius ab ipſis opprimitur & abſconditur, eo magis eminet & apparet: * Quid igitur? C. XLII.
Chryſogonus, ſui maleficii occultandi cauſſa, quæſtionem de his haberi non vult? minime, judices. Non in omnes arbitror omnia convenire. Ego in Chryſogono, quod ad me attinet, nihil ejuſmodi ſuſpicor: neque hoc mihi nunc primum in mentem venit dicere. Meminiſtis me ita diſtribuiſſe initio cauſſam; in crimen, cujus tota argumentatio permiſſa Erutio eſt; & in audaciam, cujus partes Roſciis impoſitæ ſunt. Quidquid maleficii, ſceleris, cædis

tio, quod ſervos non habeant in poteſtate; ideoque non poſſint eos in quæſtionem dare.

puerulos) vox hæc, quæ blandientis eſt, ſignificat ſervos nimis delicatos & elegantes.

elegantiſſimis familiis) hominum proſcriptorum.

pæne operarios) operarios cum bajulis conjungit Cicero de cl. orat. c. 73.

patrisfamiliæ) quia homo frugi non delectatur puerulis, ſed operariis.

aut humanitatem) doctrinam interpretatur Hotomanus. Sed ego urbanitatem malim, quomodo ſuperius dixit, *litteris eorum & urbanitate*: idque eo mihi magis perſuadeo, quod particula *aut* ſeparat literas ab *humanitate*.

rei familiaris negotio) a quo longe aberat vita & ingenium Chryſogoni; ut eſt in c. 46.

argumentatio) tractatio.

erit, proprium id Roſciorum eſſe debebit. Nimiam gratiam potentiamque Chryſogoni dicimus & nobis obſtare, & perferri nullo modo poſſe, & a vobis, quoniam poteſtas data eſt, non modo infirmari, verum etiam vindicari oportere. Ego ſic exiſtimo; qui quæri velit ex iis, quos conſtat, cum cædes facta ſit, affuiſſe, eum cupere verum invenire; qui recuſet, eum profecto, tametſi verbo non audet, tamen re ipſa de maleficio ſuo confiteri. Dixi initio, judices, nolle me plura de iſtorum ſcelere dicere, quam cauſſa poſtularet, ac neceſſitas ipſa cogeret. Nam & multæ res afferri poſſunt; & unaquæque earum multis cum argumentis dici poteſt. Verum ego, quod invitus ac neceſſario facio, neque diu neque diligenter facere poſſum. Quæ præteriri nullo modo poterant, ea leviter, judices, attigi: quæ poſita ſunt in ſuſpicionibus, de quibus ſi cœpero dicere, pluribus verbis ſit diſſerendum; ea veſtris ingeniis, conjecturæque committo.

multis cum argumentis) momentis & conjecturis.
quod invitus ac neceſſario) quia invitus, & officio ipſo defenſionis cogente, dixit de ſcelere adverſariorum.

CONFIRMATIONIS

PARS III.

P*Otentia Chryſogoni factum eſſe oſtendit, ut bona Sex. Roſcii contra jus faſque venierint; quia Roſcius neque in Marianis caſtris fuit umquam, nec in proſcriptorum numero,* uſque ad cap. xliv. In xliv. *auget argumentum oſtendens omnino bona non*

ve-

veniiſſe; primum quia veniiſſe dicuntur poſt tempus a lege definitum; deinde quia in tabulas publicas relata non eſt pecunia venditionis. In xlv. *excuſat Syllam, quo imprudente hac facta ſunt. In hujus capitis fine tota argumentatio deeſt, qua oſtendat, quemadmodum promiſerat, nec bona venire potuiſſe, nec omnino veniiſſe.* In xlvi. *agit de divitiis, ſuperbia, luxuria Chryſogoni.* In xlvii. *excuſat παῤῥησίαν ſuam.* In xlviii. *confirmat Judicum animos, hortaturque ad reprimendum Chryſogonum.* In xlix. *per exclamationem & indignationem queritur de Chryſogoni audacia, qua ne parti quidem Reip. ſanctiſſima, hoc eſt judiciis, parcit; clauditque confirmationem.*

* Venio nunc ad illud nomen aureum Chryſogoni: ſub quo nomine tota ſocietas ſtatuitur: de quo, judices, neque quo modo dicam, neque quo modo taceam, reperire poſſum. Si enim taceo, vel maximam partem relinquo: ſin autem dico, vereor, ne non ille ſolus, id quod ad me nihil attinet, ſed alii quoque plures læſos ſe eſſe putent. Tametſi ita res ſe habet, ut mihi in communem cauſſam ſectorum dicendum nihil magnopere videatur: hæc enim cauſſa nova profecto & ſingularis eſt. Bonorum Sex. Roſcii emtor eſt Chryſogonus. Primum hoc videamus, ejus hominis bona qua ratione venierunt, aut quo modo venire potuerunt? Atque hoc non ita quæram, judices, ut id dicam, C.XLIII.

nomen aureum) quia nomen Chryſogoni fit a χρύσος, & γόνος: eſtque quaſi *Fœtus aureus*.

alii quoque) qui bona proſcriptorum civium emerunt.

cam, eſſe indignum hominis innocentis bona veniſſe. Si enim hæc audientur, ac libere dicentur; non fuit tantus homo Sex. Roſcius in civitate, ut de eo potiſſimum conqueramur. Verum ego hoc quæro: qui potuerunt iſta ipſa lege, quæ de proſcriptione eſt, ſive Valeria eſt, ſive Cornelia, (non enim novi, nec ſcio) verum iſta ipſa lege bona Sex. Roſcii venire qui potuerunt? Scriptum enim ita dicunt eſſe, ut eorum bona veneant, qui proſcripti ſunt; quo in numero Sex. Roſcius non eſt. Aut eorum, qui in adverſariorum præſidiis occiſi ſunt: dum præſidia ulla fuerunt, in Syllæ præſidiis fuit: poſteaquam ab armis receſſerunt; in ſummo otio, rediens a cœna, Romæ occiſus eſt. Si lege; bona quoque lege veniſſe fateor: ſin autem conſtat, contra omnes non modo veteres leges, verum etiam novas occiſum eſſe; bona quo jure, aut quo modo, aut qua lege venierint, quæro.
C. XLIV. * In quem hoc dicam, quæris Eruti? Non in eum, quem vis, & putas: nam Syllam & oratio mea ab initio, & ipſius eximia vir-

Si enim hæc audientur, ac libere dicentur) ideſt, ſi quando talia libere dici, & audiri poterunt, non de tantulo homine potiſſimum querentur, cum alii multo illuſtriores eadem injuria læſi fuerint.

non fuit tantus &c.) nobiliores ac præſtantiores cives proſcripti ſunt, de quibus eſſet conquerendum.

ſive Valeria eſt, ſive Cornelia) indignantis eſt, & ſtomachantis. Interfectis Coſſ. Carbone & Mario, L. Valerius Flaccus Interrex Dictatorem dixit Cornelium Syllam, ſimulque legem tulit, ut omnia rata eſſent, quæ Sylla feciſſet. Sive igitur, inquit Tullius, hæc lex *Valeria* eſt a ſuo auctore; ſive *Cornelia* ab eo, cujus gratia lata eſt.

in adverſariorum præſidiis) in caſtris Marianis.

Si lege) ſi lege occiſus eſt.

etiam novas) ſive Corneliam, ſive Valeriam.

virtus omni tempore purgavit. Ego hæc omnia Chryſogonum feciſſe dico, ut ementiretur, ut malum civem Roſcium fuiſſe fingeret, ut eum apud adverſarios occiſum eſſe diceret, ut hiſce de rebus a legatis Amerinorum doceri L. Syllam paſſus non ſit. Denique etiam illud ſuſpicor, omnino hæc bona non veniſſe: id quod poſtea, ſi per vos, judices, licitum erit, aperietur. Opinor enim eſſe in lege, quam ad diem proſcriptiones venditioneſque fiant, nimirum ad Kal. Jun. Aliquot poſt menſes & homo occiſus eſt, & bona veniſſe dicuntur. Profecto aut hæc bona in tabulas publicas nulla redierunt; noſque ab iſto nebulone facetius eludimur, quam putamus: aut, ſi redierunt, tabulæ publicæ corruptæ aliqua ratione ſunt. Nam lege quidem bona venire non potuiſſe conſtat. Intelligo, me ante tempus, judices, hæc ſcrutari, & propemodum errare, qui, cum capiti Sex. Roſcii mederi debeam, reduviam curem. Non enim laborat de pecunia, non ullius rationem ſui commodi ducit: facile egeſtatem ſuam ſe laturum putat, ſi hac indigna ſuſpicione & ficto crimine liberatus ſit. Verum quæſo a vobis, judices, ut hæc pauca, quæ reſtant, ita

apud adverſarios) apud Marianos.

ad Kal.) uſque ad Kal.

In tabulas publicas nulla redierunt) in publicas ærarii tabulas non ſunt relata. Has autem tabulas ſervabant Quæſtores Ærarii, in iiſque accepti & expenſi nomina perſcribebant. Pro *nulla* alii legunt *nullas*.

nebulone) Chryſogono.

reduviam curem) minima curem. Alii leg. *rediviam*. *Rediviam*, inquit Feſtus, *alii reluvium appellant, cum circa ungues cutis ſe reſolvit; quia luere* (ſive *duere*, ut alii legunt) *eſt ſolvere*.

ita audiatis, ut partim me dicere pro me ipſo putetis, partim pro Sex. Roſcio. Quæ enim mihi ipſi indigna & intolerabilia videntur, quæque ad omnes, niſi providemus, arbitror pertinere, ea pro me ipſo, ex animi mei ſenſu ac dolore pronuncio: quæ ad hujus vitæ caſum cauſſamque pertineant, & quid hic pro ſe dici velit, & qua conditione contentus ſit, jam in extrema oratione noſtra, judices, audietis.

CXLV. * Ego hæc a Chryſogono mea ſponte, remoto Sex. Roſcio, quæro; primum, quare civis optimi bona venierint; deinde quare hominis ejus, qui neque apud adverſarios occiſus eſt, neque proſcriptus, bona venierint, cum in eos ſolos lex ſcripta ſit; deinde, quare aliquanto poſt eam diem venierint, quæ dies in lege præfinita eſt; deinde cur tantulo venierint: quæ omnia ſi, quemadmodum ſolent liberti nequam & improbi facere, in patronum ſuum voluerit conferre, nihil egerit. Nemo eſt enim, qui neſciat, propter magnitudinem rerum, multa multos, partim connivente, partim imprudente L. Syl-

ex animi) Non male, inquit Grævius, legi in quodam codice *& animi*. Sed fortaſſe non advertit, ita hunc ſenſum diſtribui a Cicerone: *Alia ego dico pro me, ex animi mei ſenſu: alia pro Roſcio, ex ipſius Roſcii voluntate dicam*.

neque proſcriptus) deſideratur hoc membrum in omnibus antiquis libris: ſed ex coniectura Hotomani receptum eſt omnium interpretum conſenſu. Non eſt autem neceſſarium addere *fuerat*, quod multi fecerunt: nam ut alicujus bona venirent, ſatis erat, ſi eſſet proſcriptus. Itaque, Sex. Roſcius, inquit, neque apud adverſarios occiſus eſt, neque proſcriptus: nullo jure igitur ejus bona venierunt.

eos ſolos) qui vel occiſi, vel proſcripti ſunt.

eam diem) id tempus.

tantulo) duobus millibus nummum.

partim connivente) non extare verba hæc in ſuis antiquis

L. Sylla, commiſiſſe. Placet igitur in his rebus aliquid imprudentia præteriri? Non placet, judices; ſed neceſſe eſt. Etenim ſi Jupiter Optimus Maximus, cujus nutu & arbitrio cœlum, terra, mariaque reguntur, ſæpe ventis vehementioribus, aut immoderatis tempeſtatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, urbes delevit, fruges perdidit; quorum nihil pernicii cauſa, divino conſilio, ſed vi ipſa & magnitudine rerum factum putamus: at contra, commoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, ſpiritumque, quem ducimus, ab eo nobis dari, atque impertiri videmus: quid miramur, L. Syllam, cum ſolus remp. regeret, orbemque terrarum gubernaret, imperiique majeſtatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animadvertere non potuiſse? Niſi hoc mirum eſt, quod vis divina aſsequi non poſſit, ſi id mens humana adepta non ſit. Verum, ut hæc miſsa faciam, quæ jam facta ſunt; ex iis, quæ nunc maxime fiunt, nonne quivis poteſt intelligere, omnium architectum & machinatorem unum eſse Chryſogonum, qui Sex. Roſcii nomen deferendum curavit?

quis codicibus monuit Gruterus, & fortaſſe ab aliquo ſciolo addita eſſe. Ita opinor; non poterat enim excuſari Sylla, ubi connivebat.

pernicii) Alii *pernicies*. Al. *pernicie*. Al. *perniciei*. Omnia defendi poſſunt, ut eſt apud Gellium l. 9. c. 14. Ipſe tamen Gellius hoc in loco probat primum.

vi & magnitudine) pro, magna vi, per figuram, quam Græci dicunt ἓν διὰ δυοῖν. quemadmodum Virgilius 2. Georg. v. 192. *pateris libamus, & auro*, hoc eſt pateris auratis. Putabant autem veteres, Jovem ipſum fato ſubjici, ac rerum ordine rapi.

vit? Hoc judicium, cujus honoris cauſsa accuſare ſe dicit Erutius.

deſunt non pauca, quibus oſtenditur, bona non veniiſſe.

C.XLVI. aptam & ratione diſpoſitam ſe habere exiſtimant, qui in Salentinis, aut in Brutiis habent, unde vix ter in anno audire nuncium poſſunt. Alter tibi deſcendit de Palatio, & ædibus ſuis: habet animi relaxandi cauſsa rus amœnum & ſuburbanum; plura præterea prædia, neque tamen ullum niſi præclarum, & propinquum. Domus referta vaſis Corinthiis & Deliacis, in quibus eſt authepſa illa, quam tanto pretio nuper mer-

Hoc judicium, cujus honoris &c.) Al. *Hoc judicium. Ejus honoris &c.* Hic deſunt multa, ut diximus in Analyſi tertiæ partis.

aptam & ratione &c.) hoc eſt, Alii Syllæ liberti (ut ſupplet Lambinus) domum aptam & idoneam ſe habere exiſtimant &c. Cum enim Sylla omnibus libertis ſuis multa tribuiſſet, Chryſogonum tamen ſupra ceteros ditaverat uſque ad delicias & intolerandam potentiam.

Alter tibi) vox *tibi* miram vim habet creandæ invidiæ. Solet autem adhiberi ad indignationem, aut irriſionem.

de Palatio) in monte Palatino ædes habebant principes civitatis, ut in parte urbis nobiliſſima.

vaſis Corinthiis & Deliacis) de nobilitate æris Deliaci & Corinthii agit Plinius l. 34. c. 2. Quod autem ſcribit, æs Corinthium caſu coaluiſſe ex incendio urbis ſtatuarum pleniſſimæ, fabula eſt. Æs enim Corinthium longe antiquius eſt Corinthi excidio, ut oſtendit Bochartus Hierozoic. l. 6. c. 16.

authepſa) αὐθέψη, ex αὐτὸς & ἕψω, quaſi ipſa per ſe cibos coqueret. Fuit autem vas in ſuperiore parte continens res coquendas, in inferiore ignem; qualia nunc quoque adhiberi ſolent ad multas ſorbitionum delicias. *Authepſas argenteas* nominat Lampridius in Heliog. c. 19. A veteri Scholiaſte *authepſa* dicitur vas aquarium, quod, interiecta lamina, aquam ſimul ignemque continet.

mercatus eſt, ut, qui prætereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. Quid præterea cælati argenti? quid ſtragulæ veſtis? quid pictarum tabularum? quid ſignorum? quid marmoris apud illum putatis eſſe? Tantum ſcilicet, quantum e multis, ſplendidiſque familiis, in turba & rapinis coacervari una in domo potuit. Familiam vero quantam, & quam variis cum artificiis habeat; quid ego dicam? Mitto haſce artes vulgares, coquos, piſtores, lecticarios; animi & aurium cauſſa tot homines habet, ut quotidiano cantu vocum, & nervorum, & tibiarum, nocturniſque conviviis tota vicinitas perſonet. In hac vita, judices, quos ſumtus quotidianos, quas effuſiones fieri putatis? Quæ vero convivia? Honeſta, credo, in ejuſmodi domo: ſi domus hæc habenda eſt potius, quam officina nequitiæ, & diverſorium flagitiorum omnium. Ipſe vero quemadmodum compoſito & delibuto capillo paſſim per forum volitet cum magna caterva togatorum, videtis, judices; ut omnes deſpiciat; ut hominem præ ſe neminem putet; ut

ſtragulæ veſtis) *quidquid inſternebant, a ſternendo ſtragulum appellabant*. Varro lib. 4. de l. l.

compoſito & delibuto capillo) tum fœminæ, tum viri molliores crinem componebant & ungebant. *Non Arabo noſter rore capillus olet*. Ovid. epiſt. 15. Heroid. v. 76.

caterva togatorum) civium Romanorum, qui eum tamquam patronum deducebant, ac reducebant domum. De hoc clientum officio, deque uſu togæ in ſalutandis, comitandiſque patronis vide Oct. Ferrarium de re Veſt.

videtis, judices; ut omnes &c.) Hunc locum ita legunt Hotomanus & Grævius ex prima editione & optimis MSS. *videtis, judices. Etiam videtis, judices, ut omnes &c.* Utrum vero alioquin hiet oratio, ut affirmat Grævius, non auſim judicare.

c. XLVII. ut ſe ſolum beatum, ſolum potentem putet. * Quæ vero efficiat, & quæ conetur, ſi velim commemorare, vereor, judices, ne quis imperitior exiſtimet, me cauſſam nobilitatis, victoriamque voluiſſe lædere: tametſi meo jure poſſum, ſi quid in hac parte mihi non placeat, vituperare. Non enim vereor, ne quis alienum me animum habuiſſe a cauſſa nobilitatis exiſtimet. Sciunt ii, qui me norunt, me pro illa tenui infirmaque parte, poſteaquam id, quod maxime volui, fieri non potuit, ut componeretur, id maxime defendiſſe, ut ii vincerent, qui vicerunt. Quis enim erat, qui non videret humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? quo in certamine perditi civis erat, non ſe ad eos jungere, quibus incolumibus, & domi dignitas, & foris auctoritas retineretur. Quæ perfecta eſſe, & ſuum cuique honorem & gradum redditum, gaudeo, judices, vehementerque lætor: eaque omnia deorum voluntate, ſtudio Populi Romani, conſilio & imperio & felicitate L. Syllæ geſta eſſe intelligo. Quod animadverſum eſt in eos, qui contra omni ratione pugnarunt; non debeo reprehendere: quod viris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis exſtitit, honos habitus eſt; laudo: quæ ut fierent, iccirco pugnatum eſſe arbitror; meque in eo ſtudio partium fuiſſe confiteor.

pro illa tenui) pro illa mearum virium atque opum tenuitate, explicat Lambinus. Non tamen contemnenda eſt explicatio Hotomani, qui hoc refert ad partem Marii, Cinnæ, & Carbonis; pro qua parte maxime voluiſſet Cicero, ut componeretur.

defendiſſe) curaſſe.

honos habitus) præmium tributum. Eodem ſenſu uſurpatur hæc vox cap. 37.

fiteor. Sin autem id actum eſt, & iccirco arma
ſumta ſunt, ut homines poſtremi pecuniis alie-
nis locupletarentur, & in fortunas uniuſcujuſ-
que impetum facerent; & id non modo re pro-
hibere non licet, ſed ne verbis quidem vitupe-
rare: tum vero in iſto bello non recreatus,
neque reſtitutus, ſed ſubactus, oppreſſuſque Po-
pulus R. eſt. * Verum longe aliter eſt: nihil C. XLVIII.
horum eſt, judices: non modo non lædetur
cauſſa nobilitatis, ſi iſtis hominibus reſiſtetis,
verum etiam ornabitur. Etenim qui hæc vitu-
perare volunt, Chryſogonum tantum poſſe que-
runtur: qui laudare volunt, conceſſum ei non
eſſe commemorant. Ac jam nihil eſt, quod
quiſquam aut tam ſtultus, aut tam improbus
ſit, qui dicat: vellem quidem liceret; hoc di-
xiſſem: dicas licet. Hoc feciſſem: facias licet;
nemo prohibet. Hoc decreviſſem: decerne,
modo recte; omnes approbabunt. Hoc judi-
caſſem: laudabunt omnes, ſi recte & ordine ju-
dicaris. Dum neceſſe erat, reſque ipſa cogebat,
unus omnia poterat: qui poſtea quam magi-
ſtratus creavit, legeſque conſtituit; ſua cuique
procuratio, auctoritaſque eſt reſtituta: quam ſi
retinere volunt ii, qui receperunt, in perpe-
tuum poterunt obtinere: ſin has cædes, & ra-
pi-

homines poſtremi) infimi; qualis Chryſogonus.

unus omnia poterat) Sylla Dictator, ut bellum gereret cum Marianis, ac Remp. ſtatueret, unus omnia adminiſtrabat: nunc autem ſua cuique magiſtratui reddita eſt auctoritas. Quæ omnia dicit ad confirmandos Judices, ne dubitent ſententiam ferre contra Chryſogoni voluntatem. Ceterum toto triennio, quo dictaturam geſſit, nihil fere valuit Magiſtratuum auctoritas, niſi ad πρόχημα τῆς πατρίου πολιτείας, ut ſcribit Appianus.

pinas, & hos tantos tamque profuſos ſumtus aut facient, aut approbabunt; nolo in eos gravius quidquam, ne ominis quidem cauſſa, dicere: unum hoc dico: noſtri iſti nobiles, niſi vigilantes, & boni, & fortes, & miſericordes erunt, iis hominibus, in quibus hæc erunt, ornamenta ſua concedant neceſſe eſt. Quapropter deſinant aliquando dicere, male aliquem locutum eſſe, ſi quis vere ac libere locutus ſit; deſinant ſuam cauſſam cum Chryſogono communicare; deſinant, ſi ille læſus ſit, de ſe aliquid detractum arbitrari: videant, ne turpe miſerumque ſit, eos, qui equeſtrem ſplendorem pati non potuerunt, ſervi nequiſſimi
C. XLIX. dominationem ferre poſſe. * Quæ quidem dominatio, judices, in aliis rebus antea verſabatur; nunc vero quam viam munitet, quo iter affectet, videtis: ad fidem, ad jusjurandum, ad judicia veſtra, ad id, quod ſolum prope in civitate ſincerum ſanctumque reſtat. Hicne etiam ſeſe putat aliquid poſse Chryſogonus? hic etiam potens eſse vult? O rem miſeram atque acerbam! Neque mehercules hoc indigne fero, quod verear, ne quid poſſit: verum, quod auſus eſt, quod ſperavit ſeſe apud tales viros aliquid ad perniciem poſse innocentis, id ipſum queror. Iccirco ne experrecta nobilitas, armis atque ferro remp. recuperavit, ut

pati non potuerunt) pati non potuerunt, equites judicare. Itaque judicia ad Senatorum ordinem translata ſunt.

quam viam munitet, quo iter affectet) Al. *quo viam munitet, quod iter affectet*: Dicendi modus Terentianus eſt: *Hi gladiatorio animo ad me affectant viam*. Phorm. act. 5. ſc. 7. v. 71.

ut ad libidinem ſuam liberti, ſervulique nobilium, bona, fortunas veſtras, noſtraſque vexare poſsent? Si id actum eſt, fateor me erraſse, qui hoc maluerim: fateor inſaniſse, qui cum illis ſenſerim: tametſi inermis, judices, ſenſi. Sin autem victoria nobilium ornamento atque emolumento reip. Populoque R. debet eſse; tum vero optimo & nobiliſſimo cuique meam orationem gratiſſimam eſse oportet. Quod ſi quis eſt, qui & ſe & cauſsam lædi putet, cum Chryſogonus vituperetur; is cauſsam ignorat, ſe ipſum prope non novit. Cauſsa enim ſplendidior fiet, ſi nequiſſimo cuique reſiſtetur: ille improbiſſimus Chryſogoni fautor, qui ſibi cum illo rationem communicatam putat, læditur, cum ab hoc ſplendore cauſsæ ſeparatur.

PERORATIO,

ſeu

AMPLIFICATIO.

Habet veluti duas partes: in prima eſt apoſtrophe ad Chryſogonum, in 2. ad Judices. In illa miro artificio movet invidiam & indignationem in Chryſogonum, ſed magnam eodem tempore miſericordiam erga Roſcium. In hac Judices precatur, & hortatur ad repellendos adverſarios.

* Verum hæc omnis oratio, ut jam ante dixi, mea eſt: qua me uti reſp. & dolor meus, & iſtorum injuria coegit. Sed Roſcius horum nihil indignum putat: neminem accuſat: nihil C. LI.

de

de ſuo patrimonio queritur: putat homo imperitus morum, agricola, & ruſticus, iſta omnia, quæ vos per Syllam geſta eſse dicitis, more, lege, jure gentium facta: culpa liberatus, & crimine nefario ſolutus, cupit a vobis diſcedere: ſi hac indigna ſuſpicione careat, animo æquo ſe carere ſuis omnibus commodis dicit: rogat, oratque te, Chryſogone, ſi nihil de patris fortunis ampliſſimis in ſuam rem convertit; ſi nulla in re te fraudavit; ſi tibi optima fide ſua omnia conceſſit, adnumeravit, appendit; ſi veſtitum, quo ipſe tectus erat, annulumque de digito ſuum tibi tradidit; ſi ex omnibus rebus ſe ipſum nudum, neque præterea quidquam, excepit; ut ſibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egeſtate degere. Prædia mea tu poſſides; ego aliena miſericordia vivo: concedo; & quod animus æquus eſt, & quia neceſse eſt. Mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt: fero. Familia mea maxima uteris: ego ſervum habeo nullum: patior, & ferendum puto. Quid vis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi a me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obſto? Si ſpoliorum cauſſa vis hominem occidere; ſpoliaſti: quid quæris amplius? ſi inimicitiarum; quæ ſunt tibi inimici-

ci-

annulumque de digito ſuum tibi tradidit) Ita fere omnes ex conjectura Lambini legendum putant, cum antea haberetur: *annulumque dedit, os ſuum tibi tradidit*. Hoc autem dicitur ad amplificationem, quaſi vel annulum ipſum tradiderit quem Romani ad ultimam uſque inopiam ſervabant. Itaque Juvenalis ſat. XI. v. 42.

Talibus a dominis poſt cuncta noviſſimus exit
Annulus) V. Ind.

citiæ cum eo, cujus antea prædia poſſediſti, quam ipſum cognoſti? ſin metuis; ab eo ne aliquid metuis, quem vides ipſum ab ſeſe tam atrocem injuriam propulſare non poſſe? ſin, quod bona, quæ Roſcii fuerunt, tua facta ſunt, iccirco hunc illius filium ſtudes perdere; non ne oſtendis id te vereri, quod præter ceteros tu metuere non debeas, ne quando liberis proſcriptorum bona patria reddantur? Facis injuriam, Chryſogone, ſi majorem ſpem emtionis tuæ in hujus exitio ponis, quam in iis rebus, quas L. Sylla geſſit. Quod ſi tibi cauſſa nulla eſt, cur hunc miſerum tanta calamitate affici velis; ſi tibi omnia ſua præter animam tradidit, nec ſibi quidquam paternum, ne monumenti quidem cauſſa, reſervavit; per deos immortales, quæ iſta tanta crudelitas eſt? quæ tam fera immaniſque natura? quis umquam prædo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus, ut, cum integram prædam ſine ſanguine habere poſſet, cruenta ſpolia detrahere mallet? Scis hunc nihil habere, nihil audere, nihil poſſe, nihil umquam contra rem tuam cogitaſſe; & tamen oppugnas eum, quem neque metuere potes, neque odiſſe debes, nec quidquam habere jam reliqui vides, quod ei detrahe-

ab eo ne aliquid metuis) Al. *ab eo ne metuis*.

tu metuere non debeas) quia ſi cui bona Sylla conſervabit, tibi in primis conſervabit liberto gratioſiſſimo.

quas L. Sylla geſſit) quia lege Valeria debent eſſe perpetuo rata, quæ Sylla geſſit.

ne monumenti quidem cauſſa) hoc maxime pertinet ad movendam miſericordiam. Refertur autem ad illud cap. 9. *cui ne iter quidem ad ſepulcrum patrium reliquiſſet*. Vide Animad. I.

here poſſis; niſi hoc indignum putas, quod veſtitum ſedere in judicio vides, quem tu e patrimonio, tamquam e naufragio, nudum expuliſti. Quaſi vero neſcias hunc & ali & veſtiri a Cæcilia Balearici filia, Nepotis ſorore, ſpectatiſſima fœmina: quæ cum patrem clariſſimum, ampliſſimos patruos, ornatiſſimum fratrem haberet; tamen, cum eſſet mulier, virtute perfecit, ut, quanto honore ipſa ex illorum dignitate afficeretur, non minora illis ornamenta ex
C. LI. ſua laude redderet. * An, quod diligenter defenditur, id tibi indignum facinus videtur? Mihi crede, ſi pro patris ejus hoſpitiis & gratia, vellent omnes hujus hoſpites adeſſe, & auderent libere defendere, ſatis copioſe defenderetur: ſin autem pro magnitudine injuriæ, proque eo, quod ſumma reip. in hujus periculo tentatur, hæc omnes vindicarent; conſiſtere mehercule vobis iſto in loco non liceret. Nunc ita defenditur, non ſane ut moleſte ferre adverſarii debeant, neque ut ſe potentia ſuperari putent. Quæ domi gerenda ſunt, ea per Cæciliam tranſiguntur: fori judiciique rationem Meſſalla, ut videtis, judices, ſuſcepit; qui ſi jam ſatis ætatis atque roboris haberet, ipſe pro Sex. Roſcio diceret: quoniam ad dicendum im-

Cæcilia Balearici filia, Nepotis ſorore) Fuit Metelli Balearici filia, & Metelli Nepotis ſoror. Tres avos clariſſimos habuit, Lucium, qui de Dalmatis triumphavit; Marcum, qui de Sardis; Cajum, qui de Thracibus. Ita Manutius ad cap. x.

quod ſumma Reip.) Al. *ſumma reſpublica*. Cum impune opprimuntur cives optimi, ſtatus ipſe reipublicæ tentatur, & in diſcrimen adducitur.

impedimento eſt ætas, & pudor, qui ornat ætatem; cauſſam mihi tradidit, quem ſua cauſſa cupere, ac debere intelligebat: ipſe aſſiduitate, conſilio, auctoritate, diligentia perfecit, ut Sex. Roſcii vita erepta de manibus ſectorum ſententiis judicum permitteretur. Nimirum, judices, pro hac nobilitate pars maxima civitatis in armis fuit, hæc acta res eſt, uti nobiles reſtituerentur in civitatem, qui hoc facerent, quod facere Meſſallam videtis, qui caput innocentis defenderent, qui injuriæ reſiſterent, qui, quantum poſſent, in ſalute alterius, quam in exitio, mallent oſtendere. Quod ſi omnes, qui eodem loco nati ſunt, facerent; & reſp. ex illis, & ipſi ex invidia minus laborarent. * Verum ſi C. LII. a Chryſogono, judices, non impetramus, ut pecunia noſtra contentus ſit, vitam ne petat; ſi ille adduci non poteſt, ut, cum ademerit nobis omnia, quæ noſtra erant propria, ne lucem quoque hanc, quæ communis eſt, eripere cupiat; ſi non ſatis habet avaritiam ſuam pecunia explere, niſi etiam crudelitate ſanguinis perlitus ſit; unum perfugium, judices, una ſpes reliqua eſt Sex. Roſcio, eadem, quæ reip., veſtra priſtina bonitas & miſericordia: quæ ſi manet, ſalvi etiam nunc eſſe poſſumus: ſin ea crudelitas, quæ hoc tempore in rep. verſata eſt, veſtros quoque animos, id quod fieri profecto non poteſt, duriores acerbioreſque reddi-

impedimento eſt ætas) Annus legitimus cauſſas agendi fuit decimus octavus, ut oſtendit Hotomanus ex Ulpiano l. 1. D. de poſtul. & ex Juſtiniano Inſt. l. 1. t. 6. §. 7.

in republica verſata eſt) Al. *in remp. graſſata eſt*.

didit; actum eſt, judices; inter feras ſatius eſt ætatem degere, quam in hac tanta immanitate verſari. Ad eam ne rem vos reſervati eſtis, ad eam ne rem delecti, ut eos condemnaretis, quos ſectores ac ſicarii jugulare non potuiſſent? Solent hoc boni imperatores facere, cum prælium committunt, ut in eo loco, quo fugam hoſtium fore arbitrantur, milites collocent, in quos, ſi qui ex acie fugerint, de improviſo incidant. Nimirum ſimiliter arbitrantur iſti bonorum emtores, vos hic tales viros ſedere, qui excipiatis eos, qui de ſuis manibus effugerint. Dii prohibeant, judices, ut hoc quod majores conſilium publicum vocari voluerunt, præſidium ſectorum exiſtimetur. An vero, judices, vos non intelligitis, nihil aliud agi, niſi ut proſcriptorum liberi quavis ratione tollantur? & ejus rei initium in veſtro jurejurando, atque in Sex. Roſcii periculo quæri? Dubium eſt, ad quem maleficium pertineat, cum videatis ex altera parte ſectorem, inimicum, ſicarium, eumdemque accuſatorem hoc tempore; ex altera egentem, probatum ſuis filium, in quo non modo culpa nulla, ſed ne ſuſpicio quidem potuit conſiſtere? numquid hic aliud videtis obſtare Roſcio, niſi quod patris bona
C. LIII. venierunt? * Quod ſi id vos ſuſcipitis, & eadem in re operam veſtram profitemini; ſi idcirco ſedetis, ut ad vos adducantur eorum libe-

conſilium publicum) etſi *conſilium publicum* Senatus fere dicitur: tamen aliquando etiam conſeſſus judicum ita appellatur. Sic in l. 6. D. ad l. Jul. Repetundar. *Ne quis ob ſententiam in Senatu conſiliove publico dicendam pecuniam accipiat.*

eadem in re) Grævius leg. *ad eamdem rem.*

beri, quorum bona venierunt; cavete, per deos immortales, judices, ne nova & multo crudelior per vos proſcriptio inſtaurata eſſe videatur. Illam priorem, quæ facta eſt in eos, qui arma capere potuerunt, tamen ſenatus ſuſcipere noluit, ne quid acrius, quam more majorum comparatum eſt, publico conſilio factum videretur: hanc vero, quæ ad eorum liberos atque infantium puerorum incunabula pertinet, niſi hoc judicio a vobis rejicitis & aſpernamini, videte, per Deos immortales, quem in locum remp. perventuram putetis. Homines ſapientes, & iſta auctoritate & poteſtate præditos, qua vos eſtis, ex quibus rebus maxime reſp. laborat, iis maxime mederi convenit. Veſtrum nemo eſt, quin intelligat, Populum R. qui quondam in hoſtes leniſſimus exiſtimabatur, hoc tempore domeſtica crudelitate laborare: hanc tollite ex civitate, judices: hanc pati nolite diutius in hac rep. verſari: quæ non modo id habet in ſe mali, quod tot cives atrociſſime ſuſtulit; verum etiam hominibus leniſſimis ademit miſericordiam conſuetudine incommodorum. Nam cum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus; etiam qui natura mitiſſimi ſumus, aſſiduitate moleſtiarum ſenſum omnem humanitatis ex animis amittimus.

deeſt fortaſſe quippiam.

EVEN-

ſenatus ſuſcipere noluit) noluit probare. Itaque Sylla probari curavit lege ad populum lata.

more majorum) quia majores ne in hoſtes quidem crudeles fuerant, nedum in cives.

domeſtica crudelitate) quam Mariani in Syllanos, Syllani in Marianos exercuerunt.

EVENTUS.

Credibile eſt, abſolutum fuiſſe Roſcium; cum dicat ipſe Cicero *in Bruto* c. 90. cauſſam hanc tantum commendationis habuiſſe, ut nulla eſſet, quæ non digna patrocinio ejus videretur. Quæ conjectura confirmari ſolet ex iis, quæ habentur libro 2. offic. c. 14. *Maxime autem & gloria paritur & gratia defenſionibus; eoque major, ſi quando accidit, ut ei ſubveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri urgerique videatur, ut nos & ſæpe alias, & adoleſcentes contra L. Syllæ dominantis opes pro Sex. Roſcio Amerino fecimus*. Plutarchus multo clarius videtur tribuere victoriam hujus cauſſæ Ciceroni, cum ſcribit: ἀναδεξάμενος δὲ τὴν συνηγορίαν, καὶ κατορθώσας ἐθαυμάσθη. Quare metu Syllæ primum in Græciam conceſſit; deinde in Aſiam progreſſus, eam fere totam peragravit; elapſoque biennio Romam rediit, ut ipſe ſcribit in Bruto cap. 91.

AD

AD ORATIONEM

CICERONIS

PRO SEX. ROSC. AMERINO

ANIMAD. I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAp. 9. *Cui de tanto patrimonio prædo iſte nefarius ne iter quidem ad ſepulcrum patrium reliquiſſet*) Ad hæc verba ita Hotomanus : Fortaſse hoc oratorie dicitur, & agrorum publicatorum eadem, quæ privatim venditorum ratio fuit. De his autem Pomponius ſic ſcribit ſub tit. de ſepulc. viol. *Utimur eo jure, ut dominis fundorum, in quibus ſepulcra fecerint, etiam poſt venditos fundos adeundorum ſepulcrorum ſit jus. Legibus namque vendendorum prædiorum cavetur, ut ad ſepulcra, quæ in fundis ſunt, iter ei, aditus, ambituſque funeris faciundi cauſſa ſit*. Hinc ſervitutes itineris ad ſepulcrum apud Juriſconſultos. Labeo l. ſi mercedem 55. D. de act. empt. *Si eum fundum vendidiſti, in quo ſepulcrum habuiſti, nec nominatim tibi jus ad ſepulcrum excepiſti, parum tibi eo nomine cautum habes*. PAULUS : *minime; ſi modo in ſepulcrum iter publicum tranſit*.

Putat igitur Hotomanus hoc dictum eſſe a Cicerone non vere, ſed oratoria licentia ad creandam invidiam adverſario. Hotomano adſtipulatur Menardus, qui ita habet: *Plauſibilior eſt Ciceronis ſententia, quam vera; & ſi Ciceronis tempore vera vox hæc fuit, reſcripto Antonini dirempta poſtea eſt hæc controverſia, ut vicinus, ideſt qui vicinum ſepulcro prædium poſſidet, vel precario concedat iter, vel etiam extra ordinem compellatur a Magiſtratu, ut ei juſto*

*ſto pretio iter concedat . l. ſi quis ſepulcrum , D. de Reli-
gioſis .* Nequeo mihi perſuadere, dictum hoc eſſe a Cicerone oratorie, quod animadvertam, idem repeti in peroratione cap. 50. *nec ſibi quidquam paternum, ne monumenti quidem cauſſa , reſervarit* . Vere igitur dici exiſtimo, ne iter quidem ad ſepulcrum patrium relictum fuiſſe Roſcio, quod jus hoc itineris pertineret ad emtorem fundi, niſi nominatim fuiſſet exceptum a venditore. In re autem noſtra non fuiſſe exceptum a Roſcio, facile vel ex hoc intelligi poteſt, quod venditio facta eſt, non nomine Roſcii, ſed Syllæ. Reſpondendum igitur eſt Pomponio, cujus verba in lib. 5. tit. de ſepulcr. viol. attulit Hotomanus. Reſponſio porro colligitur ex Gloſſa, quæ ſic habet ad verbum *adeundorum: Quod eſt verum , ſi in venditione excipit ſepulcrum , vel ſi eſt ibi publicum iter ; alioqui tranſit cum prædio , l. ſi venditor, D. de Religioſis , l. ſi mercedem 55. D. de act. empt. Quidam tamen dicunt tacite ſemper exceptum ; quod nihil eſt* . Quid clarius contra Hotomanum? Sed pergamus. Ad verba illa , *legibus vendendorum prædiorum cavetur*, Gloſſa habet : *ideſt pactis caveri ſolet*. Sed quoniam Hotomanus ſententiam ſuam confirmavit ex Labeone l. ſi mercedem 55. de act. empt. ſciendum eſt, hunc eſſe ſenſum ejus legis, ut colligitur ex Gloſſa: *Si vendidiſti fundum , & nominatim ſepulcrum tibi excepiſti, etiam iter ad ſepulcrum excepiſſe videris : niſi forte, ut reſpondit Paulus , iter publicum ſit ad ſepulcrum ; quo in caſu ſatis tibi cautum* eſt. Itaque, ut omnia paucis colligamus, jus itineris ad ſepulcrum in fundo poſitum pertinebat ad emtorem fundi, niſi venditor nominatim ſibi excepiſſet ſepulcrum, vel niſi iter fuiſſet publicum.

Obiter animadverto in lege illa Pomponii 5. D. de ſepulc. viol. pro *iter ei* ab aliis legi *iter eis* , ab aliis *iter ejus*. Sed quoniam locus dubius eſt, ego libenter legerem *itus*; quod conjicio ex antiqua Inſcriptione a Jo. Kirchmanno allata lib. 3. de funer. Rom. c. 22. ubi tria illius legis verba, *itus* , *aditus* , *ambitus* , ita conjuncta leguntur:

HUIC . MONUMENTO . ITUS . ADITUS,
AMBITUS . DEBETUR.

ANIM-

ANIMAD. II.

CAp. 32. *Te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum fecit.*

De ſtrage Cannenſi ingenti prorſus ac miſeranda vide Livium lib. 22. cap. 45. & ſequentib. Cum illa comparat Orator cædem Marianorum a Syllanis factam, qua cum plurimi ſublati ſunt ac pœne innumeri Romani Cives, tum vero illi maxime, qui & poterant & ſolebant accuſare: eo nempe conſilio, ne qui interfectorum bona occupabant, in judicium poſtea vocarentur; ut egregie animadvertit Hotomanus. Hinc factum eſt, ut bonorum accuſatorum inopia, etiam minime bonis, qualis erat Erutius, cœperit locus eſſe in judiciis. Cur porro cum Cannenſi pugna fiat comparatio, Jo. Menardus rationem petit a paronomaſia. Ait enim Ciceronem jocare voluiſſe in vocibus *Cannenſis* & *Cinnanenſis*, quod cædis Cannenſis commemoratio Cinnani exercitus internecionem audientium animis offerat. Alii eam cauſſam afferunt, quod cædes Cannenſis maxima fuerit, ideoque per illam ſatis potuerit Syllanæ proſcriptionis ſpecies audientibus objici.

Ego quoque mihi videor excogitaſſe aliquid non ab re. Exiſtimo enim pugnæ Cannenſis mentionem fieri, non ob ipſam pugnam, ſed ob ea, quæ pugnam conſecuta ſunt. Quemadmodum enim poſt illam pugnam coactus eſt Romanus Dictator etiam prætextatos armare, atque adeo ſervos ipſos inopia liberorum capitum, ut narrat Livius l. 22. c. 57. ita etiam poſt Syllanam ſtragem vel inepti homines cœperunt accuſare, atque inopia bonorum videri boni. Itaque non tu, Eruti, bonus accuſator es, inquit Tullius; ſed bonum te facit pugna illa Cannenſis, quæ bonos ſuſtulit.

ANIMAD. III.

CAP. 38. *Aliqua fretus hora ſemper*) Semper Capito aliquod Syllæ impedimentum comminiſcebatur, quo fretus in ſingulas horas legatis aditum impediret. Duo verba moverunt difficultatem Interpretibus: primum eſt *fretus*; alterum *hora*. Quod ad primum attinet, ita ait F. Urſinus, *FRETUM legit Victorius*: *at Manutius habet*

FRETUS, *nihilo meliore ſententia*. Meliore tamen, inquam ego, conſtructione. Quoties enim infinitus modus ita effertur, perſona agens primum caſum tenet; cujus rei infinita ſunt exempla, præſertim apud Hiſtoricos, quibus familiariſſima eſt hæc loquendi figura. Caſus autem ille primus regit verbum, quod tacetur per ellipſim, v. g. hoc in loco *pergebat*. Miror proinde præſtantiſſimos viros fere omnes ſequutos eſſe Victorium, & ea exemplaria, quibus Victorius deceptus eſt. Quod vero ad alterum attinet, ego ab iis libentiſſime ſto, qui nihil mutant. Non enim video, cur *hora* nequeant uſurpari pro negotiis ipſis, quæ qualibet hora fiunt: quemadmodum a Quinctiliano l. 6. c. 4. Aſinius Pollio dictus eſt *omnium horarum homo*, quod idem ſemper eſſet, omnibuſque negotiis tum feriis tum ludicris accommodatus. Juvat tamen aliorum ſententias afferre, ut cuilibet fiat ſatis. Hotomanus pro *hora* legit *aura*, quod refert ad favorem Chryſogoni. Lambinus item legit *aura*, & per eam ſignificari putat cauſſam inanem ac fallacem inſtar auræ. Gruterus legit *remora*, Manutius *mora*: quam vocem probat etiam Grævius. *Sed non video*, inquit, *ut praecedentia verba conſtitui poſſint*. *Forte*: hiſce aliqua ficta mora, *quam fingebat, ut illos moraretur, ne admitterentur ad Syllam*.

ANIMAD. IV.

CAP. 39. *In minimis privatiſque rebus etiam negligentia in crimen mandati judiciique infamiam revocatur*.) Manutius, & plerique ad Grævium uſque habent *judiciumque infamia*. Sed hinc nullus erui poteſt ſenſus, ut omnes ultro fatentur. Ego ſecutus ſum editiones Gryphianas, & alias non minimæ auctoritatis, quas vidit Hotomanus ipſe, licet non probarit. Fateor lubens, lectionem hanc eſſe minus communem; fateor me in nullo MS. codice repeririſſe: ſed idem tamen affirmo, minime omnium cum ſententia & conſtructione pugnare. Ac ſicuti optimi quique interpretes verba illa cap. 36. *te iſti credere* omnibus antiquis codicibus confirmata, tamen expulere ſententiæ cauſſa; ita ego multo potiore ratione hæc expellenda puto, *judiciumque infamia*. Age nunc videamus, quæ quilibet ad ea commentetur. Manutius unius litteræ additione rem conficit, legitque *judiciumque infamiæ*. Sed hæc lectio non probatur Lambino, quod latine dici non ſoleat *judicium in-*

infamiæ; ſed *judicium exiſtimationis*, *fama*, *&c.* Scio equidem Lambinum improbaſſe etiam noſtram; ſed nullam tamen rationem attulit, cur improbaret. Ipſe porro legit: *in crimen judiciumque infame vocatur*. Sed præterquamquod nimia mutatio eſt, nulloque aut manuſcripto, aut edito codice confirmata, accedit quod dura videtur phraſis, *vocari in judicium infame*. Quid Hotomanus? *in crimen mandatique judicium infame revocatur*. Sed præterquamquod divinat, numerus hic orationis, & modus efferendi nonnihil offenſionis habet.

Grævius putat, *mandati* nomen non ſuo loco poni; vocem vero *infamiæ* eſſe interpretationem *criminis*, quæ irrepſerit in contextum. Itaque mallet legere: *negligentia mandati in crimen judiciumque revocatur*. Sed tamen nihil affirmat.

ANIMAD. V.

CAP. 40. *Tecti eſſe ad alienos poſſumus: intimi multa apertiora videant neceſſe eſt: ſocium vero cavere qui poſſumus?*) Ideſt, tegere poſſumus omnia noſtra conſilia alienis: intimis eo ipſo, quod intimi ſunt, patere multa neceſſe eſt: ſocii ipſi ſocietatis jure ſciunt omnia. Itaque alienos cavere poſſumus, quia omnia noſtra ignorant: cavere poſſumus intimos, quibus etſi patent multa, non tamen omnia: ſocium vero cavere nullo modo poſſumus, qui ut in partem, ita in cognitionem rerum omnium vocatur. Porro *ad alienos* dicitur, quaſi *apud alienos*, ſeu *quod attinet ad alienos*. Cujus dictionis exempla paſſim occurrunt.

Huc transtuli hujus loci explicationem, quoniam video reſpondendum eſſe iis, qui vocem *tecti* ſumunt & explicant pro *muniti*. Sunt autem non Interpretes ſolum, ſed etiam Lexicorum ſcriptores: nam (ut vulgus omittam) & Robertus Stephanus, & Baſilius Faber in ſuis Theſauris contendunt, particulam *ad* uſurpari pro *contra*; unde eſt *munitus ad*, quod confirmant Ciceronis auctoritate hinc petita. Sed ego primum ab iis peto, ſi τὸ *tecti* uſurpatur pro *muniti*, cur ſtatim in ſecundo membro mutet Cicero orationis figuram, *intimi multa apertiora vident*? Non ſatis ſibi reſpondent *video*, & *munio*. Deinde velim ſcire, quibus præterea id confirment auctoritatibus. Uſurpatur, inquiunt, *ad* pro *contra* etiam a Virgilio, & conjungitur voci a Tul-

lia-

liana non valde diverſæ, Æn. 2. v. 44. *clypeoſque ad tela ſiniſtris protecti objiciunt*. Ego nihil auſim affirmare contra doctiſſimum Servium, ceteroſque interpretes hac in re Servium ſecutos: ſed tamen quid locus Virgilii ad hunc noſtrum? Quis non videt vim totam eſſe in verbo *objicio*? Dicimus enim & *objicere telis*, & *objicere ad tela*. Sic Cicero Fam. l. 6. ep. 4. *ad omnes caſus ſubitorum periculorum objecti ſumus*. Verum eſto, propoſitio *ad* in his & ſimilibus locis, ubi regit accuſativum rei, ſit pro *contra*: num iccirco idem dicendum erit etiam cum regit accuſativum perſonæ? Inveniatur *munitus ad aliquem* pro *contra aliquem*, tum vero manus dabo.

INDEX,

ET

COMMENTARIUS

In duas

M. T. CICERONIS

ORATIONES

Pro P. QUINCTIO,

&

SEX. ROSC. AMERINO.

A

A vobis factis, hoc eſt ex vobis, ſponte veſtra. pro Roſc. Am. c. 36. Adde Plautum Rudent. 2. 5. 21.

Ab ſe cantat cuja ſit, V. Adnotationes.

Ab innocentia clementiſſimus. pro Roſc. Am. c. 30. hoc eſt, *erga innocentiam*. V. Adnot.

Abſumere tempus. pro Quinct. c. 10.

Accuſator calumniæ infamia notatus neminem poterat accuſare. pro Roſc. Am. c. 20.

Ad pro *apud*, ſeu *quod attinet ad*, pro Roſc. Am. c. 40.

Ad pro *uſque ad*. pro Roſc. Am. c. 44.

Adeſa pecunia. pro Quinct. c. 12.

Adpromitto. pro Roſc. Am. c. 10. fidejubeo: adpromittit enim, qui quod ſuo nomine alter promiſit, ipſe quoque pro eo promittit.

Ad-

Adſtipulator, qui ſtipulantibus teſtis adeſt, & ſimul cum iis adpromittit. pro Quinct. c. 18. Hinc Antiochus dicitur *Stoicorum adſtipulator* per metaphoram, Acad. 4. c. 21.

Affectare iter. pro Roſc. Am. c. 49. V. Adnot.

Africanus, & ejus laus, pro Roſc. Am. c. 36.

Annulus. pro Roſc. Am. c. 50. Annulo aureo utebantur Senatores, & Equites Romani; ferreo ceteri. In militia præter Senatores & Equites quilibet Tribunus militum jus annuli aurei habuiſſe videtur, ut in adnot. ad Sat. 10. Juvenalis v. 165. contendit Camil. Silveſtrius.

Annus legitimus agendi in judicio, & poſtulandi, eſt decimus octavus. pro Roſc. Am. c. 51. in Adnot.

Anſeres publice alti in Capitolio. pro Roſc. Am. c. 20.

Anſeribus comparantur accuſatores. Ibid.

Antequam cum infinitivo *devenire* pro *deveniatur*: pro Quinct. c. 17.

Antiſtius ſenex. pro Roſc. Am. c. 32.

Appellare, verbum creditoris. pro Quinct. c. 11. 12. & 18.

Aquillius, pro Quinct. c. 12. & ſeqq. Quis fuerit, vide in Argumento.

Arbiter. pro Roſc. Am. c. 39. dicitur Judex mandati; quia etiam in judicio mandati addebatur *ex fide bona*.

Arbitrium pro ſocio. pro Quinct. c. 3. Formula juris eſt, quæ idem ſignificat, ac judicium, ſeu actio ſocietatis. Vocatur autem *arbitrium*, quod *arbitrii* ſimile ſit; quippe Prætor in danda Judici formula addit, *ex fide bona*, ut ex æquo & bono quaſi arbiter judicet. Ceterum proprie judicium eſt; nam in arbitriis non pertinet ad Prætorem dare formulam Judici, quam in judicando ſequatur.

As quaſi *Æs*, minimus Romanorum nummus. pro Quinct. c. 5. valebat autem duos ſolidos Venetos.

Aſſiduus. pro Roſc. Am. c. 7. 16. 18. 24. 29. 33. Scribitur & *Adſiduus*: eſt enim ab *adſum*, ſeu *aſſum*. Veteres ducebant hanc vocem ab *aſſibus* dandis, & uſurpabant pro locuplete. V. Feſtum, Gellium l. 16. c. 10. Chariſ. l. 1. & Voſſium in Etymol.

Athenæ ſapientiſſimæ, quamdiu rerum potitæ ſunt. pro Roſc. Am. c. 25.

Atria Licinia. pro Quinct. c. 3. & 6.

Auctio. pro Quinct. c. 4. & alibi, eſt publica rerum venditio ab *augendo* dicta, quod pretium a licitatoribus ſubinde augeatur.

Auſcultare alicui. pro Roſc. Am. c. 36. eſt attente ac-

ci-

cipere alicujus dicta, illiſque obſequi. Idem Cic. l. 1. de divin. c. penult. *Iſtis, qui linguam avium intelligunt, magis audiendum, quam auſcultandum cenſeo.*

Aut pro *an*. Pro Roſc. Am. c. 21. Damnatur hic uſus a Quinctiliano l. 1. c. 5. Sed eſt & apud Plautum. Aul. 2. 6. 11. & apud Plinium Paneg. 1. 84.

Authepſa. pro Roſc. Am. c. 46. quid ſit V. Adnot.

Automedon. pro Roſc. Am. c. 35.

B

BAlnea Palatina. pro Roſc. Am. c. 7.

Brutus Tribunus plebis. pro Quinct. c. 20.

C

CAdit pro *accidit*. pro Quinct. c. 16. Idem 2. de orat. c. 4. *Hoc cecidit mihi peropportune.*

Cæcilia Metelli Balearici filia. pro Roſc. Am. c. 10. & 50.

Cærimonia, vel *Cerimonia*, vel *Caremonia legationis*. pro Roſc. Am. c. 39.

Canes publice alti in Capitolio. pro Roſc. Am. c. 20. V. Adnotat.

Canibus comparantur accuſatores. Ibid.

Captio. pro Quinct. c. 16. Sumitur pro damno & jactura, quæ ex aliena fraude oritur. Sic apud Plautum Moſtell. act. 3. ſc. 3. v. 19. *Nequid captioni mihi ſit, ſi dederim tibi*. Et apud Cajum D. lib. 29. tit. 3. leg. 7. *Sæpe cum magna captione a rebus noſtris avocamur.*

Caput, & *capitalis cauſſa*. pro Quinct. c. 2. V. Adnotat.

Caſſii in judicando ſapientia ac ſeveritas. pro Roſc. Am. c. 30.

Cauſſa pro *conjunctione*, ſeu cauſſa *conjunctionis*. pro Quinct. c. 15. Eodem modo adhibetur Famil. 13. ep. 19. & de Provinc. conſul. c. 17.

Cauſſa pro partibus, vulgo *partito*. pro Roſc. Am. c. 49.

Cauſſam dicere. pro Quinct. c. 2. & pro Roſc. Am. c. 5. 29. & 30. crimina diluere, *difenderſi in giudizio*. Hinc cauſſam dicere ex vinculis, *dar le ſue difeſe in prigione*. Cæſar l. 1. Bel. Gal. c. 4. & Livius l. 29. c. 9.

Cauſſæ privatæ dicebantur cauſſæ rei privatæ, & inter privatos: h. e. quas Populus nulla lege ſtatuerat ad ſe pertinere. V. *Judicia privata*.

Cauſ-

Cauſſæ publicæ quaſi cauſſæ Reipublicæ . Hoc eſt illæ, quas Populus lege lata judicaverat ad ſe pertinere , quod de iis eſſent delictis, quibus tota Reſp. lædi videbatur . V. *Judicia publica*.

Certus, probatus, ſpectatus . pro Quinct. c. 3. & pro Roſc. Am. c. 19.

Ciſium, caleſſo, o ſedia da poſta . pro Roſc. Am. c. 6.

Cliens . pro Roſc. Am. c. 7. Plebeji homines patronum ſibi ſinguli ex Patribus eligebant , dicebanturque clientes ejus . Idque ex Romuli inſtituto , ut aliquo vinculo duo inter ſe civitatis Ordines conjungerentur , mutuamque ſibi operam navarent .

Comparo pro *ſtatuo*, *decerno* . pro Quinct. c. 16. Adde Auctorem librorum ad Herenn. lib. 4. c. 16. Pro *inſtituo*. pro Roſc. Am. c. 53.

Comparativum in *i* ſexto caſu . pro Quinct. c. 1. *meliori mente* . Plerumque tamen a Cicerone effertur per *e*.

Complexus paſſiva ſignificatione . pro Roſc. Am. c. 14. ut *expertus* pro Balbo c. 6.

Concedere, hoc eſt ignoſcere . pro Roſc. Am. c. 1. Adde ep. 6. famil. l. 6.

Concurro de uno tantum uſurpatum , qui modo hunc , modo illum adit . pro Quinct. c. 16. Sed locus dubius eſt.

Concurſus moleſtus ejuſdem ſyllabæ in voce *æqueque*. pro Roſc. Am. c. 20.

Condiſco, ſimul diſco . pro Quinct. c. 3. Hinc *Condiſcipulus*.

Conſcientia. pro Roſc. Am. c. 24. Ubi habes illuſtrem amplificationem de malæ conſcientiæ furiis.

Conſilium capere, cum infinitivo modo . pro Quinct. c. 16. *Ire in conſilium*. pro Quinct. c. 9.

Conſilium publicum appellatur conſeſſus judicum . pro Roſc. Am. c. 52. V. Adnotat.

Conſtans opponitur *amenti*. pro Roſc. Am. c. 14. Quomodo autem *inconſtans* amens ſit , & *inconſtantia* amentia, vide Tuſcul. 3. cap. 4. 5. & ſeqq.

Conſueſſet pro *conſueviſſet*. pro Quinct. c. 28.

Corinthia vaſa. pro Roſc. Am. c. 46. ubi vide Adnotat. de origine Corinthii æris.

Crimen adverſariorum, hoc eſt criminatio . pro Roſc. Am. c. 13.

Crura ſuffringere. pro Roſc. Am. c. 20. Crura ſuffringebantur iis, qui in crucem acti eſſent, ſi diutius viverent. Sic Joan. cap. 18. *Venerunt ergo milites, & primi quidem fre-*

Digitized by Google

fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.

Cuicuimodi pro *cujuſcumque modi*. pro Roſc. Am. c. 34. Eſt etiam hæc vox in lib. 2. de leg. c. 5. & lib. 3. ad Att. ep. 22. Gellius l. 14. c. 1. & l. 20. c. 1. habet *Cuimodi*, quod pro *cujuſmodi* ponitur.

Cum aliquo facere, hoc eſt pro aliquo ſtare. pro Quinct. c. 30. Adde Horat. l. 2. Epiſt. 1. v. 68. *Et ſapit, & mecum facit*.

Cupidus pro impotenti & furioſo. pro Quinct. c. 26. Ita *cupiditas* pro impotentia. ib. c. 2.

D

D*Ecemprimi*. pro Roſc. Am. c. 9. & 38. Græce δεκαπρῶτοι, erant decem præcipui Senatores, ſeu Decuriones coloniarum ac municipiorum, qui cum Duumviris Remp. adminiſtrabant. De his Noriſius in diſſert. prima ad Cenotaphia Piſana.

Decuriones. pro Roſc. Am. c. 9. erant Senatores coloniarum ac Municipiorum; eorumque decreta ſunt veluti Romæ Senatuſconſulta.

Decurſa ætas pro ſenectute ſumma. pro Quinct. c. 31.

Defendo idest *propulſo*. pro Roſc. Am. c. 1. Item pro *euro*. ibidem c. 47.

Deliaca vaſa. pro Roſc. Am. c. 46.

Denarius. pro Quinct. c. 4. moneta Romana, quæ denos aſſes, hoc eſt Venetos ſolidos viginti valebat.

Derogare fidem alicujus, hoc eſt imminuere. pro Quinct. c. 23. Conſtructio hæc fortaſſe ſingularis eſt. Fere enim dicimus, *derogare fidem alicui*.

Deſpicere, demittere oculos, ac negligenter aſpicere. pro Roſc. Am. c. 8.

Detrudere de prædio. pro Quinct. c. 27. & 29.

Detruſus ex prædio. pro Quinct. c. 29.

Dies. diem petere alicujus nominis. pro Quinct. c. 23.

Diem dicere. pro Roſc. Am. c. 12. hoc eſt ad populum accuſare; quod *non erat privati hominis*, inquit Manutius, *ſed proprie Tribunorum pl.* Livius lib. 3. c. 24. ait, A. Cornelium & Q. Servilium Quæſtores M. Volſcio diem dixiſſe.

Dubito pro *conſidero*. pro Roſc. Am. c. 31.

Dupondius. pro Quinct. c. 16. Valet duos aſſes; hoc eſt quatuor ſolidos Venetos.

E

EDictum Prætoris. Per hoc mittebatur creditor in poſſeſſionem bonorum debitoris. Quibus de cauſſis daretur, & quam vim haberet, vide pro Quinct. c. 19. & 11.

Ejectus pro *abjecto*. pro Quinct. c. 19. Metaphora ſumitur a naufragis, qui nudi ac rerum omnium egeni ad litus ejiciuntur.

Ephemeris. pro Quinct. c. 18. Diarium, in quo res quotidianæ memoriæ cauſſa ſcribuntur, ab ἐπὶ, & ἡμέρα.

Eques Romanus. pro Quinct. c. 19. Qui publico merebat Equo, & in Equeſtrem ordinem fuerat a Cenſoribus electus, quod HS. quadringenta millia poſſideret, hoc eſt philippeos nummos 10. mill. Utebatur autem annulo aureo, tunica anguſti clavi, & phaleris.

Eques vero ſine epitheto *Romanus*, dicebatur quicumque equo ſuo ſtipendia faciebat.

Et. particula hæc eleganter adhibetur in exclamationibus. pro Quinct. c. 11. & 20. Pro Roſc. Am. c. 29.

Exiſtimatio pro *judicio*, pro Quinct. c. 10. Pro *fama honeſtatis*, c. 31.

Experiri, lege agere apud Judices. pro Quinct. c. 11. 21. 23. 28.

F

FAmilia pro *ſervis*. pro Quinct. c. 27. & pro Roſc. Am. c. 28. 46. 50.

Fero pro *offero*. pro Quinct. c. 28. pro *obtineo* c. 31.

Fimbriæ audacia & inſania. pro Roſc. Am. c. 12.

Flagitare majorem vim habet, quam *poſtulare*. pro Quinct. c. 3. Itaque *flagitatores* dicuntur creditores. Plaut. in Caſ. Prol. v. 24. *Ducite ex animo curam, atque alienum æs, Ne quis formidet flagitatorem ſuum*.

Fraus pro *damno*. pro Roſc. Am. c. 17. Adde Epiſt. ult. l. 7. ad Attic. & 26. l. 7. ad Fam.

Funus alicui ducere. pro Quinct. c. 15. Vide Adnot.

G

GAllonius. pro Quinct. c. 30. helluo famoſus, de quo l. 2. de Fin. c. 28. & in Satyra Horat. 2. lib. 2. verſ. 47.

Ge-

Genitivus quintæ declin. vel in *i*, vel in *es*, vel in *e*, vel in *ei*. pro Roſc. Am. c. 45. V. Adnotat. ad vocem *pernicii*.

Gladiator dicitur per translationem vetus ſicarius. pro Roſc. Am. c. 6. Item homo prægrandis & robuſtus. pro Quinct. c. 21.

Gratia. pro Quinct. c. 1. Ad quem locum hæc habet Hotomanus: *Gratia copia eſt plurimorum amicorum, ut ſcribit Aſconius*. Verum, quamvis hoc loco *Gratia* ſumatur pro πολυφιλία, tamen generatim atque univerſe conſiderata, eſt benevolentia & favor modo unius hominis, modo plurium; cujus rei paſſim occurrunt exempla. Sic *gratioſus* dicitur aliquis promiſcue apud unum, & apud plures.

Gratioſus. pro Quinct. c. 1. & 21. vulgo *prepotente per ſoverchie aderenze*.

H

HAbeo pro poſſum, vel eſt mihi copia. pro Roſc. Am. c. 35. Adde l. 1. Fam. Epiſt. 5. & lib. 2. ad Attic. ep. 22. *De rep. nihil habeo ad te ſcribere*. Ita Græci uſurpant ἔχω.

Hic ibidem. Pro Roſc. Am. c. 5.

Homo P. Quinctii, hoc eſt ſervus. pro Quinct. c. 19.

Honeſtas pro *fama*, *& exiſtimatione*. pro Roſc. Am. c. 39. Sic *inhoneſtus* pro *infamis*. V. Adnot.

Honor pro *præmio*, *commodo*, *utilitate*. pro Roſc. Am. c. 37. & 47.

Hortenſius, an *Horteſius*, ſcribendum ſit, V. in Argumento Orat. pro Quinct. Hortenſii cura in partiendo. pro Quinct. c. 10.

Hoſpitia. pro Roſc. Am. c. 6.

I

IGnoſcere, & *cognoſcere*. pro Roſc. Am. c. 1.

Imbibo pro *conſtituo*. pro Quinct. c. 6. Adde Lucret. l. 3. v. 1010. *Qui petere a populo faſces, ſævaſque ſecures Imbibit*. & l. 6. v. 71. *Pœnas petere imbibat acres*.

In regere poteſt accuſativum, etiam cum ſtatum in loco ſignificat. pro Quinct. c. 5. & 30. V. Gellium l. 1. c. 7.

Indidem Ameria. pro Roſc. Am. c. 27.

Infeſtus, paſſiva ſignificatione. pro Roſc. Am. c. 11.

Infinitivus modus ſine caſu agente. pro Roſc. Am. c. 22. *conſiſtere huc ea ſpe veniſſe:* ubi vox *se* deeſſe videtur; neque tamen prorſus neceſſaria eſt, quod ad eamdem perſonam referatur, quæ totam conſtructionem regit.

Infinitivus modus *devenire* pro conjunctivo *deveniatur*. pro Quinct. c. 17.

Ingratiis idem atque *ingratis*. pro Quinct. c. 14. Habet etiam Lucretius l. 3. v. 1082. & l. 6. v. 215.

Inhumanus pro *acerbo & nimis moleſto*. pro Quinct. c. 3. Ita *inhumani ſenes*, de Senect. c. 3. Ital. *indiſcreti*.

Injicere pro *obiter dicere*. Ital. *toccare*, *far intendere*. pro Quinct. c. 21. Adde Epiſt. 16. Trebonii ad Cicer. Famil. l. 12.

Intercalares calendæ, pro Quinct. c. 25. Dies erant, qui interjiciebantur inter 23. & 24. Februarii; ut annus Lunaris, qui eſt minor, conveniret cum Solari, qui eſt major. Et primo quidem Reip. tempore ex præſcripto Numæ interjiciebantur altero quoque anno dies XXII. Ætate vero Ciceronis intercalandi poteſtas omnis erat penes Pontifices; qua ſæpe cum eſſent abuſi; totam anni rationem perturbarunt, ut Juliana demum correctione opus fuerit.

Interceſſor, is qui aliquid impedit. pro Roſc. Amer. c. 38.

Inter ſicarios. pro Roſc. Amer. c. 5. & 32. Formula juris eſt.

Inter tot annos. pro Quinct. c. 14. tot annorum ſpatio. Sic Titinius apud Nonium c. 1. n. 3. *Inter decem annos*.

Judex quæſtionis, pro Roſc. Am. c. 14. erat princeps Judicum, ut appellatur ab Aſconio, Itaque actionem a Prætore datam exercebat, teſtes audiebat, quæſtiones habebat, tabulas inſpiciebat, uno verbo ea omnia agebat, quæ erant cognitionis, cum Prætor ea ageret, quæ erant imperii. Præerat ceteris Judicibus; ſed tamen cum iis juratus ſententiam ferebat.

Judicia privata dicta ſunt judicia civilia, in quibus de privatis controverſiis agebatur; nec niſi illi, cujus intererat, actio dabatur.

Judicia publica dicta ſunt judicia criminalia, ideſt quæ crimen complecterentur. Tametſi, ut ſcribit Macer in lege 2. D. de publ. Jud. *non omnia judicia, in quibus crimen vertitur, publica ſunt, ſed ea tantum, quæ ex legibus judiciorum publicorum veniunt: ut Julia Majeſtatis, Julia de adulteriis, Cornelia de ſicariis & veneficis, Pompeia*

par-

parricidii; *Julia peculatus*, *Cornelia de teſtamentis*, *Julia de vi privata & publica*, *ambitus*, *repetundarum*, *annonæ*. Quibus adde & *Lætoriam* de iis, qui adoleſcentes circumſcripſiſſent. Dicebantur autem *publica*, quod in eos conſtituta erant, qui univerſam Remp. læſiſſe videbantur; ideoque in iis cuivis de populo actio dabatur. Quia ubi quilibet de populo læſus eſt, quilibet accuſandi facultatem habere debet.

Judicium committere, hoc eſt exercere. pro Roſc. Am. c. 5.

Jus, pro loco, ubi jus dicitur. pro Quinct. c. 25. & in l. ult. D. de Juſt. & jur. Hinc *in jus vocare*.

Juſta funeri ſolvere. pro Roſc. Am. c. 8.

L

L*aniſta*, ludi gladiatorii magiſter. Cic. pro Roſc. Am. c. 6.

Latrocinium pro *fraude & inſidiis*. pro Quinct. c. 26. & pro Roſc. Amer. c. 22.

Lemniſcata palma. pro Roſc. Am. c. 35. quid ſit vide Adnot.

Libellus. pro Quinct. c. 6. & 15. Ital. *cartello*. Publicis locis figebatur, ut bonorum auctionem certo die futuram ediceret. Rævardus in lib. Protribun. contendit, libellum figi conſueviſſe in ipſis bonis vendendis, ex Seneca 4. de Benef. c. 12. *Suſpenſum amici bonis libellum dejicio*. Sed non advertit, vocem *bonis* dativum eſſe incommodi, ut Grammatici appellant, idemque valere atque *ad amici bona vendenda*.

Libertinus. pro Roſc. Am. c. 7. *Libertinus* uſque ad tempora Appii Cæci, ac deinceps aliquandiu is dictus eſt, qui ex *liberto* naſcebatur; *libertus* autem qui ex ſervitute manumiſſus fuerat. Poſtea tamen inter *libertum* & *libertinum* nullum diſcrimen fuit; ſed utroque nomine promiſcue is eſt appellatus, qui antea ſervus cum fuiſſet, libertatem acquiſierat, ut oſtendit Manutius hoc in loco. Itaque filius *liberti* non *libertinus*, ſed *ingenuus* ex eo tempore dictus eſt. Adverte tamen ex Valla elegant. l. 4. c. 1. cum *patroni* mentio fieret ſive aperta, ſive tacita, vocem *libertus* in uſu fuiſſe, ut *Chryſogonus libertus Syllæ*: cum de conditione ageretur, vocem *libertinus* uſurpari conſueviſſe; ut *Mellius homo tenuis ac libertinus*. Itaque Horatius l. 1. epiſt. 20. dicit ſe *libertino patre natum*.

Lucilius. pro Quinct. c. 16. Juriſconſultus, de quo in Brut. c. 42.

M

M*Acelli fauces*. pro Quinct. c. 6.

Magis pro *amplius*. pro Roſc. Am. c. 14.

Magiſter, in auctione is dicitur, qui bonis alicujus vendendis præeſt. Eſt autem fere unus ex creditoribus. pro Quinct. c. 15. Adde epiſt. 1. ad Att. l. 1.

Manceps. pro Roſc. Am. c. 8. mancipes dicuntur, qui aliquid a populo publice emunt, aut conducunt, quia id præſtant tollentes manum, ideoque videntur quaſi manu capere.

Mandati commoda, & incommoda. pro Roſc. Am. cap. 39.

Mare expiat res violatas. pro Roſc. Am. c. 26.

Marius, & ejus mors. pro Roſc. Am. c. 12.

Memoria. *Quinctius in memoriam rediit*, ideſt cogitare cœpit. pro Quinct. c. 18.

Metuo quam vim habeat, vide *Vereor*.

Municeps. pro Roſc. Am. c. 6. *Municipes* (inquit Gellius l. 16. c. 13.) *ſunt cives Romani ex municipiis, ſuo jure & legibus ſuis utentes; muneris tantum cum Pop. Rom. honorarii participes, a quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla Pop. Rom. lege aſtricti*. Itaque municipia meliore videntur conditione fuiſſe, quam coloniæ, quæ Romanis legibus vivere cogebantur: ideoque Prænestini a Tiberio Imperatore petierunt, & impetrarunt, ut ex colonia in municipii ſtatum redigerentur. Tamen, ut ibidem contendit Gellius, *Coloniarum conditio præſtabilior exiſtimatur*, propter amplitudinem majeſtatemque Pop. Rom., cujus coloniæ quaſi effigies parvæ ſimulacraque eſſe quædam videntur.

N

N*Ec* pro *non*. pro Quinct. c. 4. Adde Livium, qui paſſim habet *nec opinans*, *nec opinato*. & Plaut. qui *nec recte* pro *non recte*. Aſin. 2. 4. 65. & Bacch. 1. 2. 11.

Negor cum modo infinito & nominativo. pro Quinct. c. 21.

Nepos pro *prodigo*. pro Quinct. c. 12. quia qui hæreditatem

tem capiunt ab avo, præmortuo patre, nepotari ſolent; quod tenera ætate ſint, & conſilio careant.

Nimium pro *valde*. pro Quinct. c. 35. Adde Terentium Eun. 3. 5. 49. & Plautum paſſim.

Niſi pro *dumtaxat*. pro Roſc. Am. c. 35. Eſt etiam formula juris, c. 8.

Nobiles. pro Quinct. c. 8. Vox ambigua, quæ tribuitur etiam gladiatoribus. ib. c. 21.

Nomen pro *debito*. pro Quinct. c. 4. & 23.

Nomina certa. pro Quinct. c. 11.

O

O*Bjicio* pro *injicio*. pro Roſc. Am. c. 14.

Obtinere pro *retinere*. pro Roſc. Am. c. 12.

Obtinere mendacium. pro Quinct. c. 23. eſt idem, atque obtinere cauſſam per mendacium. Sic *obtinere veritatem* in exordio orat. pro Dejot.

Offero pro *infero*. pro Roſc. Am. c. 14. & *oblatus* pro *illatus* ibid.

Opes pro *auctoritate & potentia*. pro Quinct. c. 1. & 2. complectitur autem hoc nomen divitias, clientes, amicos, & quidquid ad gratiam pertinet.

Opto pro *eligo*. pro Roſc. Am. c. 11.

P

P*Alatium*. In eo habitabant principes civitatis. pro Roſc. Am. c. 46. Hinc dicebantur *deſcendere* in *forum*, in *campum*, &c. ut pluribus exemplis oſtendit Manutius ad Divinationis c. 1.

Parricidarum ſupplicium. pro Roſc. Am. c. 25. & 26.

Paterfamilias pro homine probo & frugi. pro Quinct. c. 17.

Peculatus pro Roſc. Am. c. 29. Furtum pecuniæ publicæ. Hujus criminis publicum judicium erat, proprium Quæſitorem habens ex Julia lege de peculatu. *Dici cœptus eſt peculatus a pecore*, inquit Feſtus, *quia ab eo initium ejus fraudis eſſe cœpit*. Sed a *pecore* etiam pecunia ipſa dicta eſt.

Pecunia, pro rebus omnibus, quæ ſunt in patrimonio. pro Quinct. c. 3. & pro Roſc. Am. c. 2. & 8.

Penates. pro Quinct. c. 26. & pro Roſc. Am. c. 8. Privati ac domeſtici Dii cujuſque familiæ, ita appellati,

ut eſt apud Cic. 2. de nat. Deor. cap. 27. ſive a *penu* (eſt enim omne, quo veſcuntur homines, penus) ſive ab eo , quod *penitus* inſident : a quo etiam penetrales a poetis vocantur.

Perfundere judicio . pro Roſc. Am. c. 29. quid ſignificet, vide in Adnotat.

Pernicii . pro Roſc. Am. c. 45.

Peroratio quot partes habeat , V. primam adnotationem cap. 30. pro Quinct.

Perſevero cum quarto caſu . pro Quinct. c. 23. V. Adnot.

Petitor, & *accuſator* quomodo differant . pro Quinct. c. 13.

Philippus orator : pro Quinct. c. 22. 25. 26. Cicero in Bruto c. 47. & Horat. ep. 7. l. 1. *Strenuus , & fortis , cauſiſque Philippus agendis clarus* .

Præcones fuere dicaces . pro Quinct. c. 3. Vide Adnotat.

Præferre pro *præſeferre* . pro Roſc. Am. c. 31. Sed ibi varia lectio rem dubiam facit.

Prætor R. pro Quinct. c. 20. Prætores creabantur ad privata judicia exercenda . Duo autem erant ; *Urbanus*, qui jus diceret inter cives ; *Peregrinus*, qui inter cives & peregrinos . Alter alterius decretis intercedere poterat . *Urbanus* tamen major erat, & conſulare munus , abſentibus conſulibus, ſuſtinebat. Capta Sardinia (inquit Pomponius lib. 1. Dig. t. 2. leg. 2.) Sicilia , Hiſpania , & Narbonenſi provincia, auctus eſt Prætorum numerus , iiſque etiam poſtea quæſtiones publicæ tributæ ſunt a Cornelio Sylla . V. *Quæſitores* .

Proſcribere bona, eſt propoſitis publice libellis, bonorum auctionem in diem certam edicere . pro Quinctio in narrat. & alibi : Ubi autem figerentur libelli , vide in voce *libellus* .

Pueri venales, ſervi . pro Quinct. c. 6. Sed *puer* pro ſervo paſſim apud Latinos Scriptores.

Puerulus, pro ſervo eleganti . pro Roſc. Am. c. 41.

Q

Q*Uatriduo* , hoc eſt quatridui ſpatio , intra dies quatuor . pro Roſc. Am. c. 7.

Quæſitores ſunt , qui judicia publica exercent ; cui rei primum operam dederunt Reges, deinde Conſules, uſque ad

ad legem Valeriam de *provocatione*; poſtremo quos populus quærere juſſiſſet, uſque ad annum Urbis DCIIII. Ab eo tempore Prætores primum quatuor, deinde ſex perpetui publicarum quæſtionum Quæſitores ſunt conſtituti, ut eas quotannis ſortirentur inter ſe, eique ſinguli præeſſent, quæ ſibi obtigiſſet. Itaque iidem cœperunt eſſe Prætores, ac Quæſitores; ut in cauſſa Roſcii Amerini M. Fannius Prætor eſt, & quæſitor *inter Sicarios*. Extra ordinem tamen vel Senatuſconſulto, vel lege, quæſtiones aliquæ alii Magiſtratui, aut etiam privatis hominibus mandatæ ſunt. Qua de re Sigonius de Jud. l. 2. c. 4.

Quæſtus eſt mercaturæ, *fructus* agriculturæ. Cic. pro Roſc. Am. c. 31.

Quirina. pro Quinct. c. 6. Tribus ruſtica in Sabinis conſtituta. Tribus porro quælibet nominibus addita, effertur ſexto caſu ſine præpoſitione.

R

R*Ecedere de medio*. pro Roſc. Amer. c. 39. eſt *abire*, non *mori*, ut explicat Baſ. Faber in Theſauro erud. ſchol.

Reddere judicium, pro conſtituere judicium. pro Quinct. c. 22. & ſæpe apud Juriſconſultos. Sic in Dig. lib. 19. tit. 5. leg. 11. & lib. 6. tit. 1. leg. 52. *reddere actionem*.

Reduvia, morbus, quo circa ungues cutis reſolvitur. pro Roſc. Am. c. 44.

Refero. pro reſpondeo, ſeu contradico in judicio. pro Quinct. c. 13.

Repetundarum, & *repetundis*. Non habet hæc vox niſi genitivum, & ablativum pluralem; eique ſubauditur ſubſtantivum *pecunia*, quod aliquando etiam exprimitur. Itaque pro Cluent. c. 53. *Clamet, te lege pecuniarum repetundarum non teneri*. Is reus erat repetundarum, qui magiſtratum avare geſſerat, aut aliquid eorum perpetraverat, quæ recenſentur a Sigonio l. 2. de Jud. c. 27. ad legem Juliam. Damnatus puniebatur exilio, & litis æſtimatione.

S

S*Atiſdare* (unde *ſatiſdatio*) eſt ſponſores locupletes dare. Hinc *ſatisdare judicatum ſolvi* pro Quinct. c. 7. & ſeqq. eſt ſponſores dare, qui periculo ſuo litis æſtimationem ſolutum iri promittant. Cogebantur autem ſatisdare, qui vadimonium deſeruerant, ſi vellent litem inſtaurare, tum ne rurſus impune fallerent, tum etiam, quia credebantur ſolvendo non eſſe, quod eorum bona Prætoris edicto adverſarii poſſiderent. De aliis ſatisdatio-

num generibus V. Sigon. l. 1. de Jud.

Scævola, & ejus laus. pro Roſc. Am. c. 12.

Scapula. pro Quinct. c. 4. de quo Plin. l. 7. c. 53. *P. Quinctius Scapula, cum apud Aquillium cœnaret, mortuus eſt ex improviſo.*

Scurra. pro Quinct. c. 2. Differt a *dicaci*, quia, ut colligitur ex Cicer. de Orat. l. 2. c. 60. hic ſervat modum, habetque rationem temporis, loci, ac perſonarum; ille vero non item. Sed non raro etiam *dicax* in malam parte u ſurpatur.

Sebuſiani. pro Quinct. c. 26. De his Cæſar. lib. 1. B. Gall. cap. 10. & lib. 7. c. 64.

Sector. pro Roſc. Am. c. 29. 31. 36. 43. 51. & 52. vel dicitur a *ſecando*, unde c. 29. *ſectores collorum*. Vel dicitur a *ſequendo*, eſtque ille, qui ſpem lucri ſui ſecutus, bona damnatorum auctionatur; unde ibidem *ſectores bonorum*. Hotomanus etiam *ſectores bonorum* a *ſeco* duci putat, quod verbum uſurpari olim conſuevit pro *ſequor*, teſte Servio, & Nonio cap. 4. num. 445. ad illud Virg. l. 10. v. 107. *quam quiſque ſecat ſpem.*

Senes immunes militia. pro Roſc. Am. c. 32. V. Adnot.

Senes de ponte dejecti, pro Roſc. Am. c. 35.

Sepulcrum. pro Roſc. Am. c. 9. Cum ex leg. XII. tab. in urbe ſepeliri nemo poſſet, in agris erant ſepulcra, & circa ea ſpatium quoddam ſacrum, quod ſæpe in inſcriptionibus deſignatum legimus. Utrum, vendito agro, iter ad ſepulcrum, quod in agro eſt, amittatur, vide ibidem cap. 9. & Animadv. I.

Servi non debent torqueri in dominos. pro Roſc. Am. c. 41.

Servos ad omnes artes ac delicias habebant veteres. pro Roſc. Am. c. 41.

Seſtertius. pro Roſc. Am. c. 8. Eſt quaſi *ſemis tertius*; valet enim duos aſſes & ſemiſſem: itaque ſcribi ſolet IIS, quæ litteræ ſeu numeri per lineam tranſverſam plerunque colligantur. Valet autem *Seſtertius* quartam partem denarii, hoc eſt quinque ſolidos Venetos.

Si pro *etiamſi*. pro Quinct. c. 25. Ita Terent. Eun. a. 1. ſc. 1. v. 4. *Redeam? Non, ſi me obſecret*. Eſt etiam formula juris, c. 8.

Sicarius, pro Roſc. Am. c. 29. & alibi ſæpe in ea oratione. Eſt autem qui *ſica*, & per catachreſim quocumque telo hominem occidit. Sed ex cap. 36. pro Roſc. Am. colligitur dici Sicarium etiam illum, qui hominem occidendum curat.

So-

Solarium. pro Quinct. c. 18. Horologium ſolare, de quo Varro de l. l. lib. 5. & Cenſorinus de die nat. c. 19. Significat etiam ſummas ædium partes, ubi veteres ſolebant apricari. Meronvillius ait, ſolarium accipi pro plano tecto, unde ludi ſpectabantur. Sed non probat.

Solon, & ejus de parricidio judicium. pro Roſc. Am. c. 25.

Spero pro metuo. pro Roſc. Am. c. 4. Adde Virgil. 4. Æneid. v. 419. *Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem*.

Sponſio. pro Quinct. c. 7. Ne calumniantes litigatores impune diſcederent, cogebantur certæ pecuniæ ſponſione adverſarios laceſſere in ea verba, *ni res ita eſſet*, &c. Pecunia dicebatur *ſacramentum*, quod victi pars olim ob ærarii inopiam in uſum ſacrificiorum inſumeretur. Provocatio vero illa, & mutua promiſſio *ſponſio* appellabatur. Qui ſacramento provocabat, Actor erat; & priore loco dicebat; qui vero ex provocatione contendebat, Rei perſonam ſuſtinebat.

Sylla. pro Roſc. Am. & alibi. Primam ſyllabam placuit ſcribi per *y*, quod ita ſcriberetur ætate Ciceronis, ut colligitur ex ejus Oratore cap. 48. Si quis tamen malit ſcribere *Sulla*, tuebitur ſe Faſtis Capitolinis, & aliis antiquis lapidibus.

T

T*abula Sextia*. pro Quinct. c. 6. Circum forum tabulæ erant Argentariorum, ad quas acta in foro ipſo ſcribebantur, præſertim *Auctiones*. Hinc *tabulæ auctionariæ* dictæ ſunt. Edebantur deinde in judiciis tabulæ illæ, iiſque auctoritas adjungebatur. Hujuſmodi fuit tabula hæc *Sextia*, & *Valeria* illa, ad quam bona Ciceronis proſcripti venierunt.

Tabulæ publicæ. pro Roſc. Am. c. 44. V. Adnotat.

Tamen, poſitum ſine ſuo membro adverſante, quod tacetur per ellipſim. pro Quinct. c. 26. & pro Roſc. Am. c. 36.

Tectus pro eo, qui tegit conſilia ſua. pro Roſc. Am. c. 40.

Teſtis non debet ſedere in accuſatorum ſubſelliis. pro Roſc. Am. c. 36.

Teſtem citare. pro Quinct. c. 11.

Teſtimonium non eſſe dicendum in re ſua. pro Roſc. Am. c. 36.

Teſtimonium denuntiare actoris eſt, non rei. pro Roſc. Am. c. 38.

Tibi adhibitum ad creandam invidiam. pro Roſc. Am. c. 46.

Togati clientes, qui patronos deducebant, ac reducebant domum. pro Roſc. Am. c. 46.

Tribuni plebis appellati in cauſſa Quinctii, ut intercederent Prætoris decreto. pro Quinct. c. 7. Intercedebant autem magiſtratibus omnibus, ſi quid iniquum decernere viderentur. Speciem quandam ejus auctoritatis refert Venetiis Advocatus communis, vulgo *Avogador de Comun*.

Tumultus pro Roſc. Am. c. 6. Ita dictum eſt bellum Italicum, quod eſſet domeſticum, & *timorem multum* urbi afferret. Item hoc nomine appellatum eſt bellum Gallicum, quod eſſet Italiæ vicinum. Hujus vocis vim explicat Cicero Philipp. 8. c. 1.

V

Vada Volaterrana. pro Quinct. c. 6. In ora maris Tyrrheni ad oſtia Cæcinæ fl. Diſtant a Liburno millibus XVIII. a Volaterris antiqua urbe XV.

Vadimonium. pro Quinct. c. 5. & ſeqq. eſt ſponſio quædam comparendi ſtato die (erat autem plerumque tertius) in judicium vel per ſe, vel per procuratorem. Si quis vadimonium deſeruiſſet, & infamia notabatur, & ejus bona edicto Prætoris ab adverſario poſſidebantur. Hinc *vadari* eſt in judicium vocare; & *vadimonium deſerere* idem, quod Ital. *cader in contumacia*. Adverte hic contra Manutii opinionem, rem eſſe in vadimonio conſueviſſe, cum ageretur apud Judices, non autem apud Arbitros: *Ex eo tempore res eſſe in vadimonium cœpit*. h. e. ex quo tempore per Arbitros res tranſigi non potuit: ut paullo ante dixerat.

Ubi perſonæ accommodatum pro *apud quem*. pro Quinct. c. 9. Adde Plautum in Caſ. 2. 3. 37.

Vel pro *facile*, *procul dubio*. pro Roſc. Am. c. 2.

Vereor minorem vim habet, quam *metuo*. pro Quinct. c. 1. Idem de ſeneƈt. c. 11. *metuebant eum ſervi, verebantur liberi*.

Veriſimile eſt, *ut* &c. pro Roſc. Am. c. 41.

Vertens annus, pro Quinct. c. 12. Plautus in Perſ. 4. 4. 76. habet *menſem vertentem*.

Verum pro *æquo*. pro Quinct. c. 15. Adde Livium l. 23. c. 11. Sic ἀληθὲς apud Ariſtotelem Rhet. l. 2. t. 317. & non ſemel apud Demoſthenem pro *æquo & juſto* uſurpatur.

Ultro pro *imo*, vel *e contrario*. pro Quinct. c. 23. Adde Plautum Aul. a. 3. ſc. 5. v. 65. *Ubi diſputata eſt ratio cum Argentario, etiam plus ipſus ultro debet Argentario*.

F I N I S.

DE RATIONE REGENDÆ PROVINCIÆ

EPISTOLA

M. T. CICERONIS

AD

QUINCTUM FRATREM

ASIÆ PRÆTOREM

Cum adnotationibus & Italica interpretatione

JACOBI FACCIOLATI

Digitized by Google

Epiſtola prima lib. 1. ad Quinctum Fratrem.

Scripta eſt Epiſtola hæc, L. Afranio, & Q. Metello Celere Coſſ. anno ab U. C. ſecundum Varronem DCXCIIII. ſecundum Dionyſium & Faſtos Capitolinos DCXCIII. ante Æram Chriſtianam LX. cum Quincto Ciceroni Aſiæ Prætori prorogatum fuiſſet imperium in annum tertium.

M. T. CICERO
QUINCTO FRATRI
ASIÆ PRÆTORI
S. D.

C. I. ETSI non dubitabam, quin hanc epiſtolam multi nuntii, fama denique eſſet ipſa ſua celeritate ſuperatura; tuque ante ab aliis auditurus eſſes, annum tertium acceſſiſſe deſiderio noſtro, & labori tuo;

ta-

Aſiæ) Aſiam minorem ſignificat, quæ proprie *Aſia* dicebatur, & provincia Romana erat. Per hæc tempora comprehendebantur hoc nomine utraque Myſia, Lydia, Æolia, Jonia, Caria, Doris, & utraque Phrygia, ſed non tota: nam majoris Phrygiæ pars (in qua oppida Laodicea., Apamea, Philomelum, & Synnada) una cum Piſidia, & Licaonia, bello Mithridatico, adiecta eſt Ciliciæ, qnæ alia erat Romana provincia.

Prætori) Adminiſtratio hæc Quincti Ciceronis *Proconſulatus* dicitur a Suetonio in Aug. c. 3. Nam qui provinciæ præerat, modo *Prætor*, modo *Proprætor*, modo *Proconſul* vocabatur, ſine ullo harum vocum diſcrimine; ſive Conſularis vir eſſet, ſive Prætorius. Vide exempla multa apud Manutium in Comment. epiſt. 1. lib. 1. ad Famil.

annum tertium) cum anno ſuperiore, M. Pupio Piſone, & M. Valerio Meſſala Coſſ. fuiſſet prorogatum imperium Quincto Ciceroni, nunc rurſus prorogatur in annum tertium.

deſiderio noſtro) videndi tui.

Digitized by Google

tamen exiſtimavi a me quoque tibi hujus moleſtiæ nuntium perferri oportere. Nam ſuperioribus literis, non unis, ſed pluribus, cum jam ab aliis deſperata res eſſet, tamen ego tibi ſpem maturæ deceſſionis afferebam; non ſolum, ut quam diutiſſime te jucunda opinione oblectarem, ſed etiam quia tanta adhibebatur & a nobis, & a prætoribus contentio, ut rem poſſe confici non diffiderem. Nunc quoniam ita accidit, ut neque prætores ſuis opibus, neque nos noſtro ſtudio quidquam proficere poſſemus, eſt omnino difficile non graviter id ferre: ſed tamen noſtros animos maximis in rebus & gerendis, & ſuſtinendis exercitatos, frangi & debilitari moleſtia non oportet. Et quoniam ea moleſtiſſime ferre homines debent, quæ ipſorum culpa contracta ſunt, eſt quiddam in hac re mihi moleſtius ferendum, quam tibi. Factum eſt enim mea culpa, contra quam tu mecum & proficiſcens, & per litteras egeras, ut priore anno non ſuccederetur. Quod ego, dum ſociorum ſaluti conſulo, dum impudentiæ nonnullorum negotiatorum reſiſto, dum noſtram gloriam tua virtute augeri expeto, feci non ſapienter: præſertim cum id commiſerim, ut ille alter annus etiam tertium poſſet adducere.

a Prætoribus) contendentibus obtinere provinciam Aſiam.

ipſorum culpa contracta). Idem in contrarium valet. Ovidius epiſt. heroid. 5. v. 7. *Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum eſt. Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.*

negotiatorum) Tuſcenii, & aliorum, qui Romam queſtum venerant de Quincti acerbitate. Querelæ autem injuſtæ videbantur, ſi ille judicio Senatus in imperio confirmaretur.

re. Quod quoniam peccatum meum eſſe confiteor; eſt ſapientiæ atque humanitatis tuæ, curare & perficere, ut hoc minus ſapienter a me proviſum, diligentia tua corrigatur. Ac ſi te ipſe vehementius ad omnes partes bene audiendi excitaris; non ut cum aliis, ſed ut tecum jam ipſe certes; ſi omnem tuam mentem, curam, cogitationem ad excellentem omnibus in rebus laudis cupiditatem incitaris; mihi crede, unus annus additus labori tuo, multorum annorum lætitiam nobis, gloriam vero etiam poſteris noſtris afferet. Quapropter hoc te primum rogo, ne contrahas, aut demittas animum; neve te obrui, tamquam fluctu, ſic magnitudine negotii ſinas: contraque erigas, ac reſiſtas, ſive etiam ultro occurras negotiis. Neque enim ejuſmodi partem reipublicæ geris, in qua fortuna dominetur, ſed in qua plurimum ratio poſſit & diligentia. Quod ſi tibi bellum aliquod magnum & periculoſum adminiſtranti prorogatum imperium viderem; tremerem animo, quod eodem tempore eſſe intelligerem etiam fortunæ poteſtatem in nos prorogatam. Nunc vero ea pars tibi reipublicæ commiſſa eſt, in qua aut nullam, aut perexiguam partem fortuna tenet, & quæ mihi tota in tua virtute, ac moderatione animi poſita eſſe videatur. Nullas (ut opinor) inſidias hoſtium, nullam præ-

lii

bene audiendi) proſperæ famæ, nominis, & exiſtimationis.

tecum ipſe) hactenus jam ſuperatis aliis.

aut demittas) Al. *ac demittas*.

fortunæ poteſtatem) quæ maxime in bello dominatur, & vel optima conſilia interdum eludit.

lii dimicationem, nullam defectionem ſociorum, nullam inopiam ſtipendii, aut rei frumentariæ, nullam ſeditionem exercitus pertimeſcimus: quæ perſæpe ſapientiſſimis viris acciderunt; ut, quemadmodum gubernatores optimi vim tempeſtatis, ſic illi fortunæ impetum ſuperare non poſſent. Tibi data eſt ſumma pax, ſumma tranquillitas: ita tamen, ut ea dormientem gubernatorem vel obruere, vigilantem etiam delectare poſſit. Conſtat enim ea provincia primum ex eo genere ſociorum, quod eſt ex hominum omni genere humaniſſimum: deinde ex eo genere civium, qui aut quod publicani ſunt, nos ſumma neceſſitudine attingunt; aut quod ita negotiantur, ut locupletes ſint, noſtri conſulatus beneficio ſe incolumes fortunas habere arbitrantur.

II. At enim inter hos ipſos exſiſtunt graves controverſiæ, multæ naſcuntur injuriæ, magnæ contentiones conſequuntur. Quaſi vero ego id putem, non te aliquantum negotii ſuſtinere. Intelligo permagnum eſſe negotium, & maximi conſilii: ſed memento, conſilii me hoc negotium eſſe magis aliquanto, quam fortunæ, putare. Quid eſt enim negotii, continere eos, quibus præſis, ſi te ipſe contineas? Id autem ſit

eo genere ſociorum) ideſt Græcorum.

genere civium) in Aſia erant populares, qui modo *ſocii* vocantur in hac epiſtola, modo Græci; & erant cives Romani, quorum alii negotiatores, alii publicani.

neceſſitudine attingunt) Ordo publicanorum, qui erat equitum Romanorum flos, ſemper Ciceroni faverat, & ab eo viciſſim omnibus in rebus defenſus fuerat.

noſtri Conſulatus beneficio) quia niſi Cicero Conſul Catilinæ conjurationem extinxiſſet, in negotiatorum fortunas impetus factus eſſet.

ſit magnum & difficile ceteris, ſicut eſt difficillimum: tibi & fuit hoc ſemper facillimum, & vero eſſe debuit; cujus natura talis eſt, ut etiam ſine doctrina videatur moderata eſſe potuiſſe; ea autem adhibita doctrina eſt, quæ vel vitioſiſſimam naturam attollere poſſit. Tu cum pecuniæ, cum voluptati, cum omnium rerum cupiditati reſiſtes, ut facis; erit, credo, periculum, ne improbum negotiatorem, paullo cupidiorem publicanum comprimere non poſſis. Nam Græci quidem ſic te ita viventem intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria, aut etiam de cœlo divinum hominem eſſe in provinciam delapſum putent. Atque hæc nunc non ut facias, ſed ut te facere, & feciſſe gaudeas, ſcribo. Præclarum eſt enim, ſummo cum imperio fuiſſe in Aſia triennium, ſic ut nullum te ſignum, nulla pictura, nullum vas, nulla veſtis, nullum mancipium, nulla forma cujuſquam, nulla conditio pecuniæ (quibus rebus abundat iſta provincia) ab ſumma integritate continentiaque deduxerit. Quid autem reperiri tam eximium, aut tam expetendum poteſt, quam iſtam virtutem, moderationem animi, temperantiam, non latere in tenebris, neque eſſe abditam; ſed in luce Aſiæ, in oculis clariſſimæ provinciæ, atque in auribus omnium gentium ac nationum eſſe poſitam? non itineribus tuis perterreri homines? non ſumtu exhauriri? non adventu commoveri? eſſe, quocumque veneris, & publice, & privatim maxi-

triennium) complectitur totum Præturæ tempus, etiam futurum.

non itineribus) ſuſceptis ad inviſendas, & luſtrandas totius provinciæ urbes.

ximam lætitiam: cum urbs cuſtodem, non tyrannum; domus hoſpitem, non expilatorem, recepiſſe videatur?

C. III. His autem in rebus jam te uſus ipſe profecto erudivit, nequaquam ſatis eſſe, ipſum haſce habere virtutes, ſed eſſe circumſpiciendum diligenter, ut in hac cuſtodia provinciæ non te unum, ſed omnes miniſtros imperii tui, ſociis, & civibus, & reipublicæ præſtare videare. Quamquam legatos habes eos, qui ipſi per ſe habituri ſint rationem dignitatis ſuæ; de quibus honore, & dignitate, & ætate præſtat Tubero, quem ego arbitror, præſertim cum ſcribat hiſtoriam, multos ex ſuis annalibus poſſe deligere, quos velit, & poſſit imitari: Halienus autem noſter, cum animo & benevolentia, tum vero etiam imitatione vivendi. Nam quid ego de Gratidio dicam? quem certo ſcio ita laborare de exiſtimatione ſua, ut propter amorem in nos fraternum, etiam de noſtra laboret. Quæſtorem habes, non tuo judicio delectum, ſed eum, quem ſors dedit. Hunc oportet & ſua ſponte eſſe moderatum, & tuis inſtitutis ac præceptis obtemperare,

Quo-

cuſtodia provinciæ) quemadmodum paullo ante cuſtodem dixit. Hoc enim titulo Prætores mittebantur in provinciam cum imperio.

Legatos habes) Legatos Romani appellabant (ut ſcribit Appianus lib. 1. B. C. & alii) quos provinciarum Rectoribus addebant, ut iis auxilio eſſent, eorumque locum tenerent, ubi opus videretur. Fere dabantur a Senatu; interdum tamen a Prætoribus ipſis, permittente Senatu, adſciſcebantur.

Quæſtorem habes) Prætores non eligebant, ſed ſortiebantur ſibi Quæſtores ſuos; ideoque filiorum loco habebant tamquam a Diis datos.

Quorum ſi quis forte eſſet ſordidior, ferres eatenus, quoad per ſe negligeret eas leges, quibus eſt adſtrictus: non ut ea poteſtate, quam tu ad dignitatem permiſiſſes, ad quæſtum uteretur. Neque enim mihi ſane placet, præſertim cum ii mores ſint, ut jam ad nimiam lenitatem & ambitionem incubuerint, ſcrutari te omnes ſordes, excutere unumquemque eorum: ſed, quanta ſit in quoque fides, tantum cuique committere. Atque inter hos, eos, quos tibi comites & adjutores negotiorum publicorum dedit ipſa reſpublica, dumtaxat finibus his præſtabis, quos ante præſcripſi.

C. IV. Quos vero aut ex domeſticis convictionibus, aut ex neceſſariis apparitionibus tecum eſſe voluiſti, qui quaſi ex cohorte prætoris appellari ſolent, horum non modo facta, ſed etiam dicta omnia præſtanda nobis ſunt. Sed habes

ferres eatenus) modo non abutantur auctoritate tua ad quæſtum, ſine eos abuti ſua. Iſtiuſmodi enim miniſtri non ſine ſpe ingentis lucri patriam relinquunt, & in provincias eunt.

Sint, ut) Omnes editiones, omneſque codices habent *tantum*; ſed nemo eſt, qui mendum ſubeſſe non videat. Me haud pœnitet ita mutaſſe. Alii aliter.

lenitatem & ambitionem) *ambitio* eſt honorum petitio; cujus gratia Prætores non audebant miniſtros muneris provincialis irritare. Veneti dicunt *coſtumi broglieſchi*. Quædam editiones habent *levitatem*, non *lenitatem*. Sed quid levius?

comites & adiutores) non ſervos; ideoque non omnino præſtandos.

ex domeſticis convictionibus, aut ex neceſſariis apparitionibus) domeſticos ſervos & apparitores. Eſt autem apparitoris nomen generale, quo comprehenduntur omnes, qui Magiſtratui alicui apparere ſolent, eique imperanti præſto eſſe, ut accenſi, viatores, lictores, interpretes, ſcribæ, præcones. Porro *apparitio* pro *apparitoribus* eſt etiam apud Ammianum l. 15. c. 3. (al. 5.) & apud Ulpianum Dig. l. 4. t. 2. leg. ult.

bes eos tecum, quos poſſis recte facientes facile diligere; minus conſulentes exiſtimationi tuæ facillime coercere: a quibus, rudis cum eſſes, videtur potuiſſe tua liberalitas decipi (nam ut quiſque eſt vir optimus, ita difficillime eſſe alios improbos ſuſpicatur) nunc vero tertius hic annus habeat integritatem eandem, quam ſuperiores, cautiorem etiam ac diligentiorem. Sint aures tuæ, quæ id, quod audiunt, exiſtimentur audire, non in quas ficte & ſimulate quæſtus cauſſa inſuſurretur. Sit annulus tuus non ut vas aliquod, ſed tamquam ipſe tu; non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ. Accenſus ſit eo numero, quo eum majores noſtri eſſe voluerunt; qui hoc non in beneficii loco, ſed in laboris ac muneris, non temere niſi libertis ſuis deferebant;

qui-

cautiorem) Alii legunt *cautionem*, extruſa particula *ac*.

quæſtus cauſſa inſuſurretur) Cum aliquid tibi exponitur, audi quod audis; non quod in aures ab aliquo familiari tibi inſuſurratur quæſtus cauſſa. Huc pertinent illa Verrinæ VII. c. 41. *Eum videns ſedere ad latus Prætoris, & ad aurem familiariter, ut ſolitus erat, inſuſurrare.*

non ut vas aliquod) quia annulo mandata & reſcripta obſignabantur, monet Fratrem, ne habeat illum temere inter vaſa cetera, & ad aliorum voluntatem adhibeat. Robortellus legit, *non ut vas aliquis*, h. e. ne putes, annulum tuum eſſe tanquam vadem, ſed tanquam teipſum; eoque obſignes, quod tibi perſuaſum eſt, non quod aliis placet.

accenſus) Accenſi fuere miniſtri eorum magiſtratuum, qui vocationis jus habebant, non ſolum in Urbe, ſed etiam in Provinciis. Eos Varro dictos fuiſſe ab *acciendo* ſcribit in lib. 5. de L. L. Nam illorum officium erat vocare ad concionem, ad jus, ad delectum, &c. Eorum item ſilentium indicere, ubi opus eſſet, coram magiſtratu.

non in beneficii loco) Hinc apparet, Ciceronis ætate iſtiuſmodi munia deferri conſueviſſe beneficii loco; quod iis magnæ adjunctæ eſſent utilitates, quemadmodum hodie fieri ſolet.

quibus illi quidem non multo ſecus, ac ſervis, imperabant. Sit lictor non ſuæ, ſed tuæ lenitatis apparitor: majoraque præferant faſces illi ac ſecures dignitatis inſignia, quam poteſtatis. Toti denique ſit provinciæ cognitum, tibi omnium, quibus præſis, ſalutem, liberos, famam, fortunas eſſe cariſſimas. Denique hæc opinio ſit, non modo iis, qui aliquid acceperint, ſed iis etiam, qui dederint, te inimicum (ſi id cognoveris) futurum. Neque vero quiſquam dabit, cum erit hoc perſpectum, nihil per eos, qui ſimulant ſe apud te multum poſſe, abs te ſolere impetrari. Nec tamen eſt hæc oratio mea hujuſmodi, ut te in tuos aut durum eſſe nimium, aut ſuſpicioſum velim. Nam ſi quis eſt eorum, qui tibi biennii ſpatio numquam in ſuſpicionem avaritiæ venerit, (ut ego Cæſium, & Chærippum, & Labeonem & audio, &, quia cognovi, exiſtimo) nihil eſt, quod non & iis, & ſi quis eſt alius ejuſdemmodi, & committi, & credi rectiſſime putem. Sed ſiquis eſt, in quo jam offenderis, de quo aliquid ſenſeris: huic nihil credideris, nullam partem exiſtimationis tuæ commiſeris.

C. V. In provincia vero ipſa ſi quem es nactus, qui in tuam familiaritatem penitus intra-

lictor) Lictores lenius agere juſſi, lenitatis meritum ſibi adſciſcunt; ut hinc aliquid lucriſaciant. Prætori in provincia apparebant, quemadmodum in Urbe, præeuntes cum faſcibus & ſecuribus. Eorum erat ſubmovere obvios, damnatoſque virgis cædere ac ſecuri percutere.

ſi quem es nactus) ſi quem civem Romanum, negotiandi cauſſa in provincia degentem, nactus es, qui in tuam, &c.

trarit, qui nobis ante fuerit ignotus; huic quantum credendum ſit, vide: non quin poſſint multi eſſe provinciales viri boni; ſed hoc ſperare licet, judicare periculoſum eſt. Multis enim ſimulationum involucris tegitur, & quaſi velis quibuſdam obtenditur uniuſcujuſque natura: frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur; oratio vero ſæpiſſime. Quamobrem, qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniæ cupiditate adducti careant his rebus omnibus, a quibus nos divulſi eſſe non poſſumus; te autem, alienum hominem, ament ex animo, ac non ſui commodi cauſſa ſimulent? Mihi quidem permagnum videtur; præſertim ſi iidem homines privatum non fere quemquam, prætores ſemper omnes amant. Quo ex genere ſi quem forte tui cognoſti amantiorem (fieri enim potuit) quam temporis, hunc vero ad tuum numerum libenter adſcribito. Sin autem id non perſpicies;

provinciales) ideſt Romani cives, qui negotiorum ſuorum cauſſa in provincia ſedem poſuerunt.

qui potes reperire ex eo genere hominum) ideſt, ex eo genere hominum quomodo potes reperire eos, qui pecuniæ parandæ cauſſa patriæ commoda non ament, te autem ament?

a quibus nos divulſi &c.) carent urbe Roma, & tantis his bonis, quibus nos carere non poſſumus, niſi ægro animo & ad breve tempus.

te alienum hominem) alienum ab iſtiuſmodi lucrandi ſtudio, velificantem honoribus, & Romæ cupidiſſimum. Amamus autem, ut ſcribit Ariſtoteles in lib. Rhet. 2. c. 9. τοὺς ὁμοίους, ϗ ταὐτὰ ἐπιτηδεύοντας, ϗ τοὺς τῶν αὐτῶν ἐπιθυμοῦντας. ideſt, *pares & earumdem rerum ſtudioſos, & eadem cupientes.*

privatum non fere quemquam) occupati amore pecuniæ, neminem amare poſſunt, præter illos, quorum favore & auctoritate ad quæſtum uti poſſint. Itaque ne hos quidem amant, ſed captant & amare ſimulant.

tui, quam temporis) qui te plus amet, quatenus Cicero es, quam quatenus Prætor.

cies; nullum erit genus in familiaritate cavendum magis: propterea quod & omnes vias pecuniæ norunt, & omnia pecuniæ cauſſa faciunt: &, quicum victuri non ſunt, ejus exiſtimationi conſulere non curant. Atque etiam e Græcis ipſis diligenter cavendæ ſunt quædam familiaritates, præter hominum perpaucorum, ſi qui ſunt vetere Græcia digni. Sic vero fallaces ſunt permulti, & leves, & diuturna ſervitute ad nimiam aſſentationem eruditi: quos ego, univerſos adhiberi liberaliter, optimum quemque hoſpitio amicitiaque conjungi dico oportere. Nimiæ familiaritates eorum, neque tam fideles ſunt: non enim audent adverſari noſtris voluntatibus; & vero invident non noſtris ſolum, verum etiam ſuis.

C. VI. Jam qui in ejuſmodi rebus, in quibus vereor etiam ne durior ſim, cautus eſſe velim, ac diligens; quo me animo in ſervos eſſe cenſes? Quos quidem cum omnibus in locis, tum præcipue in provinciis regere debemus: quo de genere multa præcipi poſſunt. Sed hoc & breviſſimum eſt, & facillime teneri poteſt, ut ita ſe gerant in iſtis Aſiaticis itineribus, ut ſi iter Appia via faceres: neve intereſſe quidquam pu-

vetere Græcia) erant enim iſti Græco genere, & ex vetere Græcia propagati. Vetuſta autem omnia laudare ſolemus, tanquam divinæ origini proxima.

& vero invident) Non poſſunt eſſe fideles, quia nobis invident; ſicut invident etiam ſuis, qua parte præſtant. Quidam extrudunt particulam *vero*; ſed retineri debet, quia reſpondet ſuperiori particulæ *neque*.

Appia via) ideſt ſub ipſis Romæ oculis. Erat autem Appia via inter Romam & Capuam, ab Appio Claudio ſtrata.

putent, utrum Tralles, an Formias venerint? At, ſi quis eſt ex ſervis egregie fidelis; ſit in domeſticis rebus, & privatis: quæ res ad officium imperii tui, atque ad aliquam partem reipublicæ pertinebunt, de his rebus nequid attingat. Multa enim, quæ recte committi ſervis fidelibus poſſunt, tamen ſermonis, & vituperationis vitandæ cauſſa committenda non ſunt. Sed neſcio quo pacto ad præcipiendi rationem delapſa eſt oratio mea, cum id mihi propoſitum initio non fuiſſet. Quid enim ei præcipiam, quem ego in hoc præſertim genere intelligam prudentia non eſſe inferiorem, quam me; uſu vero etiam ſuperiorem? Sed tamen ſi ad ea, quæ faceres, auctoritas accederet mea, tibi ipſi illa putavi fore jucundiora. Quare ſint hæc fundamenta dignitatis tuæ: tua primum integritas & continentia; deinde omnium, qui tecum ſunt, pudor; delectus in familiaritatibus, & provincialium hominum & Græcorum, percautus & diligens; familiæ gravis & conſtans diſciplina. Quæ cum honeſta ſint in his privatis noſtris, quotidianiſque rationibus; in tanto imperio, tam depravatis moribus, tam corruptrice provincia, divina videantur neceſſe eſt. Hæc inſtitutio, atque hæc diſciplina poteſt ſuſtinere in rebus ſtatuendis & decernendis eam ſeveritatem, qua tu in iis rebus uſus es, ex quibus nonnullas ſimultates cum magna mea

utrum Tralles, an Formias) *Tralles* urbs Lydiæ; *Formiæ* urbs novi Latii ad mare.

corruptrice provincia) quia Aſia rerum omnium copia & licentia abundabat.

nonnullas ſimultates) quia Quinctus nimia quadam acerbitate multorum in ſe odia commoverat: qua de cauſſa parum ſecunda fama eum

mea lætitia ſuſceptas habemus. Niſi forte me Paconii neſcio cujus, hominis ne Græci quidem, at Myſii, aut Phrygis potius, querelis moveri putas; aut Tuſcenii, hominis furioſi ac ſordidi vocibus, cujus tu ex impuriſſimis faucibus inhoneſtiſſimam cupiditatem eripuiſti ſumma cum æquitate.

C. VII. Hæc, & cetera plena ſeveritatis, quæ ſtatuiſti in iſta provincia, non facile ſine ſumma integritate ſuſtineremus. Quare ſit ſumma in jure dicundo ſeveritas; dummodo ea ne varietur gratia, ſed conſervetur æquabilis. Sed tamen parvi refert abs teipſo jus dici æquabiliter & diligenter, niſi idem ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem conceſſeris; Ac mihi quidem videtur non ſane magna varietas eſſe negotiorum in adminiſtranda Aſia, ſed ea tota juriſdictione maxime ſuſtineri. In qua ſcientiæ præſertim provincialis ratio ipſa expedita eſt. Conſtantia eſt adhibenda & gravitas, quæ reſiſtat non ſolum gratiæ, verum etiam ſuſpicioni. Adjungenda etiam eſt facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in ſatisfaciendo ac diſputando diligentia. His rebus nuper Cn. Octavius jucundiſſimus fuit: apud quem pri-

eum laboraſſe, ſcribit Suetonius in Auguſto c. 3.

ſcientiæ provincialis) Facile erat jus dicere in provincia, in qua neque tam multæ leges, neque tanta formularum quaſi ſuperſtitio.

in ſatisfaciendo ac diſputando) Licebat Prætorum decretis interdum diſputando reſiſtere. Eorum autem erat reſiſtentibus ſatisfacere. Habes exemplum rei hujus in Orat. pro Quinctio c. 8.

Cn. Octavius) Pater Auguſti, qui Macedoniam provinciam magna cum laude adminiſtravit. V. Suetonium initio Vitæ Auguſti.

primus lictor quievit; tacuit accenſus: quoties quiſque voluit, dixit; & quam voluit diu. Quibus ille rebus fortaſſe nimis lenis videretur, niſi hæc lenitas illam ſeveritatem tueretur. Cogebantur Syllani homines, quæ per vim & metum abſtulerant, reddere: qui in magiſtratibus jniurioſe decreverant, eodem ipſis privatis erat jure parendum. Hæc illius ſeveritas acerba videretur, niſi multis condimentis humanitatis mitigaretur. Quod ſi hæc lenitas grata Romæ eſt, ubi tanta arrogantia eſt, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia, denique tot magiſtratus, tot auxilia, tanta vis, tanta ſenatus auctoritas; quam jucunda tandem prætoris comitas in Aſia poteſt eſſe, in qua tanta multitudo civium, tanta ſociorum, tot urbes, tot civitates unius hominis nutum intuentur? ubi nullum auxilium eſt, nulla conqueſtio, nullus ſenatus, nulla concio? Quare cum permagni hominis eſt, & cum ipſa na-

primus lictor) primi lictoris erat turbam arcere a tribunali, in itinere ſubmovere obvios, &c. Alii legunt *primum*, quaſi dicat, lictores primum quieſcere cœpiſſe apud Octavium.

tacuit accenſus) noluit cuiquam ſilentium imperari; quod munus erat accenſi.

Syllani homines) Qui Syllanæ factionis auxilio in aliorum bona irrepſerant.

tot auxilia) ſcilicet magiſtratus magiſtratui intercedebat; & ab uno ad alium auxilii cauſſa pergebatur, ut hodie Venetiis fieri ſolet: quod quidem Præturas Urbi vicinas reddit incommodiores.

tanta vis) hoc videtur referendum ad populi vim, quæ concionibus ciebatur. Apparet ex iis, quæ ſequuntur.

nullum auxilium) Hinc apparet Prætores in provinciis ſumma cum poteſtate fuiſſe, a qua nulla eſſet provocatio.

nulla concio) hoc nomine populi auxilia ſignificantur, quæ per conciones eliciebantur.

natura moderati, tum vero etiam doctrina, atque optimarum artium ſtudiis eruditi, ſic ſe adhibere in tanta poteſtate, ut nulla alia poteſtas ab iis, quibus ipſe præſit, deſideretur.

C. VIII. Cyrus ille a Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus, ſed ad effigiem juſti imperii; cujus ſumma gravitas ab illo philoſopho cum ſingulari comitate conjungitur: quos quidem libros non ſine cauſſa noſter ille Africanus de manibus ponere non ſolebat: nullum eſt enim prætermiſſum in iis officium diligentis & moderati imperii; eaque, ſi ſic coluit ille, qui privatus futurus numquam fuit, quonam modo retinenda ſunt iis, quibus imperium ita datum eſt, ut redderent, & ab iis legibus datum eſt, ad quas revertendum eſt? Ac mihi quidem videntur huc omnia eſſe referenda iis, qui præſunt aliis; ut ii, qui erunt eorum in imperio, ſint quam beatiſſimi: quod tibi eſſe & antiquiſſimum, & ab initio fuiſſe, ut primum Aſiam attigiſti, conſtante fama atque omnium ſermone celebratum eſt. Eſt autem non modo ejus, qui ſociis & civibus, ſed etiam ejus, qui ſervis, qui mutis pecudibus præſit, eorum, quibus præſit, commodis utilitatique ſervire. Cujus quidem generis conſtare inter omnes video abs te ſummam adhiberi diligentiam: nullum æs alienum novum contrahi civitatibus; vetere au-

Cyrus ille) Tota hæc conſtructio laborat inconſequentia, quod Græci ἀνακόλουθον dicunt. Fit hoc impetu ſcribendi, & incuria quadam magni ingenii, nihil ſibi metuentis. Sunt alibi alia generis hujus & apud Ciceronem, & apud alios tum Latinos, tum Græcos ſcriptores; quæ ſi nos imitari velimus, riſum moveamus.

autem magno, & gravi multas abs te eſſe liberatas; urbes complures dirutas, ac pæne deſertas (in quibus unam Joniæ nobiliſſimam, alteram Cariæ, Samum & Halicarnaſſum) per te eſſe recreatas; nullas eſſe in oppidis ſeditiones, nullas diſcordias; provideri abs te, ut civitates optimatium conſiliis adminiſtrentur; ſublata Myſiæ latrocinia; cædes multis locis repreſſas; pacem tota provincia conſtitutam; neque ſolum illa itinerum atque agrorum, ſed multo etiam plura, & majora oppidorum & fanorum furta & latrocinia eſſe depulſa: remotam a fama, & a fortunis, & ab otio locupletum, illam acerbiſſimam miniſtram prætorum avaritiæ calumniam; ſumtus & tributa civitatum ab omnibus, qui earum civitatum fines incolant, tolerari æquabiliter; facillimos eſſe aditus ad te; patere aures tuas querelis omnium; nullius inopiam ac ſolitudinem, non modo illo populari acceſſu ac tribunali, ſed ne domo quidem & cubiculo eſſe excluſam tuo; toto denique imperio nihil acerbum eſſe, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, manſuetudinis, humanitatis.

C. IX. Quantum vero illud eſt beneficium tuum, quod iniquò & gravi vectigali ædilitiorum,

urbes complures) in omnibus editionibus vox *urbes* additur ſuperiori membro, ut ſit *liberatas urbes*: ſed error irrepſit non reputantibus, in quo differat *urbs* a *civitate*.

optimatium conſiliis) nam populi adminiſtratio turbis & ſeditionibus carere non poteſt.

calumniam) Prætores multi calumnias locupletibus intentatas libenter audire conſueverant; ut eos fortunis ſpoliarent.

Ædilitiorum) ideſt munerum ædilitiorum. Ædiles enim ludorum nomine pecuniam a provinciis exigebant.

tiorum, magnis noſtris ſimultatibus; Aſiam liberaſti? Enimvero ſi unus homo nobilis queritur palam, te, quod edixeris, NE AD LUDOS PECUNIÆ DECERNERENTUR, H-S cc ſibi eripuiſſe; quanta tandem pecunia penderetur, ſi omnium nomine, quicumque Romæ ludos facerent, quod erat jam inſtitutum, erogaretur? Quamquam has querelas hominum noſtrorum illo conſilio oppreſſimus, quod in Aſia neſcio quonam modo, Romæ quidem non mediocri cum admiratione laudatur, quod, cum ad templum monumentumque noſtrum civitates pecunias decreviſſent; cumque id & pro meis magnis meritis, & pro tuis maximis beneficiis ſumma ſua voluntate feciſſent; nominatimque lex exciperet, UT AD TEMPLUM MONUMENTUMQUE CAPERE LICERET; cumque id, quod dabatur, non eſſet interiturum, ſed in ornamentis templi futurum, ut non mihi potius, quam populo Romano, ac diis immortalibus datum videretur: tamen id, in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum, qui faciebant, voluntas, accipiendum non putavi; cum aliis de cauſſis, tum etiam ut animo æquiore ferrent ii, quibus nec deberetur, nec liceret. Quapropter incumbe toto animo & ſtudio omni in eam rationem, qua adhuc uſus es, ut

eos,

ad templum monumentumque) Civitates Aſiæ pecunias decreverant, quibus templum conſtrueretur, in eoque monumentum Marco Ciceroni poneretur.

lex exciperet) Lex de repetundis vetabat, ne pecuniæ in provincia caperentur, niſi nominibus illis, quæ in lege ipſa excipiebantur.

quibus nec deberetur) ædiles, qui pecunias petebant ad ludos.

eos, quos tuæ fidei poteſtatique ſenatus populuſque Romanus commiſit, & credidit, diligas, & omni ratione tueare, & eſſe quam beatiſſimos velis. Quod ſi te ſors Afris, aut Hiſpanis, aut Gallis præfeciſſet, immanibus ac barbaris nationibus; tamen eſſet humanitatis tuæ, conſulere eorum commodis & utilitati, ſalutique ſervire. Cum vero ei generi hominum præſimus, non modo in quo ipſa ſit, ſed etiam à quo ad alios perveniſſe putetur humanitas; certe iis eam potiſſimum tribuere debemus, a quibus accepimus. Non enim me hoc jam dicere pudebit, præſertim in ea vita, atque iis rebus geſtis, in quibus non poteſt reſidere inertiæ, aut levitatis ulla ſuſpicio; nos ea, quæ conſecuti ſumus, his ſtudiis & artibus eſſe adeptos, quæ ſint nobis Græciæ monumentis diſciplinisque tradita. Quare præter communem fidem, quæ omnibus debetur, præterea nos iſti hominum generi præcipue debere videmur, ut, quorum præceptis ſumus eruditi, apud eos ipſos, quod ab iis didicerimus, velimus exprimere.

C. X. Atque ille quidem princeps ingenii & doctrinæ Plato, tum denique fore beatas reſpublicas putavit, ſi aut docti, ac ſapientes homines eas regere cœpiſſent; aut ii qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina ac ſapientia collocaſſent. Hanc conjunctionem videlicet poteſtatis ac ſa-

& eſſe) Vulgo leg. *ut eſſe*.

immanibus ac barbaris) Nondum Gallia & Hiſpania excultæ erant.

a quo ad alios perveniſſe) quia a Græcis artes omnes ac diſciplinæ manarunt. Horatius l. 2. ep. 1.

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes Intulit agreſti Latio.

ſapientiæ, ſaluti cenſuit civitatibus eſſe poſſe; quod fortaſſe aliquando univerſæ reipublicæ noſtræ, nunc quidem profecto iſti provinciæ contigit, ut is in ea ſummam poteſtatem haberet, cui in doctrina, cui in virtute atque humanitate percipienda, plurimum a pueritia ſtudii fuiſſet & temporis. Quare cura, ut hic annus, qui ad laborem tuum acceſſit, idem ad ſalutem Aſiæ prorogatus eſſe videatur. Quoniam in te retinendo fuit Aſia felicior, quam nos in deducendo; perfice, ut lætitia provinciæ deſiderium noſtrum leniatur. Etenim ſi in promerendo, ut tibi tanti honores haberentur, quanti haud ſcio an nemini, fuiſti omnium diligentiſſimus; multo majorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes. Et quidem de iſto genere honorum quid ſentirem, ſcripſi ad te ante. Semper eos putavi, ſi vulgares eſſent, viles; ſi temporis cauſſa conſtituerentur, leves; ſi vero (id quod ita factum eſt) meritis tuis tribuerentur, exiſtimabam multam tibi in his honoribus tuendis operam eſſe ponendam. Quare quoniam in iſtis urbibus cum ſummo imperio & poteſtate ver-

aliquando univerſæ reip.) ita ſcribit, non quod ita revera fuerit, ſed quia inſidet in omnibus antiquitatis admiratio.

in deducendo) quia non potuimus ſucceſſorem mittere, teque iſthinc deducere.

deſiderium noſtrum) ideſt dolorem ortum ex deſiderio videndi tui.

tanti honores) poſitis aris ac templis, ut in more provinciarum fuit, virtutibus Quincti, juſtitiæ, clementiæ, fidei, &c. Idem poſtea uſuvenit Romæ, ut Imperatorum virtutes ſacrarentur; quod apparet præſertim ex numis.

honoribus tuendis) Is tuetur honores ſuos, qui dignã facit ſuis honoribus.

verſatis, in quibus tuas virtutes conſecratas, & in deorum numero collocatas vides; in omnibus rebus, quas ſtatues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus, tantis de te judiciis, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem erit ejuſmodi, ut conſulas omnibus, ut medeare incommodis hominum, provideas ſaluti, ut te parentem Aſiæ & dici, & haberi velis.

C. XI. Atque huic tuæ voluntati ac diligentiæ difficultatem magnam afferunt publicani: quibus ſi adverſamur, ordinem de nobis optime meritum, & per nos cum republica conjunctum, & a nobis, & a republica dijungemus. Sin autem omnibus in rebus obſequemur, funditus eos perire patiemur, quorum non modo ſaluti, ſed etiam commodis conſulere debemus. Hæc eſt una (ſi vere cogitare volumus) in toto imperio tuo difficultas. Nam eſſe abſtinentem; continere omnes cupiditates; ſuos coercere; juris æquabilem tenere rationem; facilem ſe in rebus cognoſcendis, in hominibus audiendis admittendiſque præbere; præclarum magis eſt, quam difficile: non eſt enim poſitum in labore aliquo, ſed in quadam inductione animi atque voluntate. Illa cauſa publicanorum quantam acerbitatem afferat ſociis, intel-
le-

afferunt publicani) quibus morem gerere difficile erat, ſimulque ſociorum jura tueri, eorumque voluntates ſibi conciliare.

optime meritum) Publicani magnam operam Ciceroni navaverant in extinguenda Catilinæ conjuratione; eique mutuorum beneficiorum cauſſa conjunctiſſimi erant.

facilem ſe) Vulgo legitur *te*: ſed vox *ſuos*, quæ præcedit, facile oſtendit, quid ſit retinendum.

leximus ex civibus, qui nuper in portoriis Italiæ tollendis, non tam de portorio, quam de nonnullis injuriis portitorum querebantur. Quare non ignoro, quid ſociis accidat in ultimis terris, cum audierim in Italia querelas civium. Hic te ita verſari, ut & publicanis ſatisfacias (præſertim publicis male redemtis) & ſocios perire non ſinas, divinæ cujuſdam virtutis eſſe videtur, id eſt tuæ. Ac primum Græcis, id quod acerbiſſimum eſt, quod ſunt vectigales, non ita acerbum videri debet; propterea quod ſine imperio populi Romani, ſuis inſtitutis, per ſe ipſi ita fuerunt. Nomen autem publicani aſpernari non poſſunt, qui pendere ipſi vectigal ſine publicano non potuerunt, quod iis æqualiter Sylla deſcripſerat. Non eſſe autem leniores in exigendis vectigalibus Græcos, quam noſtros publicanos, hinc intelligi poteſt, quod Caunii nuper omneſque ex inſulis, quæ erant ab Sylla Rhodiis attributæ, confugerunt ad ſenatum, nobis ut potius vectigal, quam Rhodiis penderent. Quare no-

portoriis Italiæ tollendis) Q. Metellus Nepos, cum Prætor eſſet, portoria Italiæ, lege lata, ſuſtulerat: qua de re vide Dionem. De his ipſis portoriis ſublatis ſcribit Cicero l. 2. ad Attic. ep. 16.

publicis male redemtis) quia Publicani nimis magno pretio publica vectigalia redemerant, ſocios enecabant, acerbius exigendo.

ſuis inſtitutis) Græcia, cum libera eſſet, ſuis populis vectigalia deſcribebat.

ſine publicano) de hoc vectigali vide Plutarchum in vita Syllæ. Hinc apparet, Græcos ſine opera Romani publicani ſolvere non potuiſſe.

Caunii) populi Cariæ. Caunus autem portus erat ad Rhodium mare in Lyciæ confinio.

Rhodiis attributæ) Sylla decreverat, ut Caunii, & vicinæ inſulæ vectigalia inferrent in ærarium Rhodiorum. Vox porro *attributæ* maxime idonea eſt. Nam

nomen publicani neque ii debent horrere, qui ſemper vectigales fuerunt; neque ii aſpernari, qui per ſe pendere vectigal non potuerunt; neque ii recuſare, qui poſtulaverunt. Simul & illud Aſia cogitet, nullam a ſe neque belli externi, neque diſcordiarum domeſticarum calamitatem abfuturam fuiſſe, ſi hoc imperio non teneretur. Id autem imperium cum retineri ſine vectigalibus nullo modo poſſit, æquo animo parte aliqua ſuorum fructuum, pacem ſibi ſempiternam redimat atque otium.

C. XII. Quod ſi genus ipſum & nomen publicani non iniquo animo ſuſtinebunt; poterunt iis, conſilio & prudentia tua, reliqua videri mitiora. Poſſunt in pactionibus faciendis non legem ſpectare cenſoriam, ſed potius commoditatem conficiendi negotii, & liberationem moleſtiæ. Potes etiam tu id facere, quod & feciſti egregie, & facis, ut commemores, quanta ſit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus; ut remoto imperio, ac vi poteſtatis & faſcium, publicanos cum Græcis gratia atque auctoritate conjungas. Sed & ab iis, de quibus optime tu meritus es, & qui

debitor attributus proprie dicitur ille, qui alteri a creditore eſt aſſignatus, ut ei ſolvat. Ita idem Cicero ad Attic. l. 13. ep. 22. *Attributos quod appellas, valde probo.* ideſt quod exigis a debitoribus meis, quos tibi attribui.

reliqua) modus ſolvendi.

in pactionibus) Paciſcebantur Publicani cum provincialibus de modo, de re, de tempore, &c.

legem Cenſoriam) vectigalium locandorum cura penes Cenſores erat, qui certas conditiones conductoribus dicebant, ne nimia acerbitate & avaritia ſocios perderent.

commoditatem) ut res exitum inveniat, quædam remitti in pactionibus debent.

in publicanis dignitas) quia multæ & honeſtiſſimæ erant Publicanorum ſocietates.

qui tibi omnia debent, hoc petas; ut facilitate ſua, nos eam neceſſitudinem, quæ eſt nobis cum publicanis, obtinere & conſervare patiantur. Sed quid ego te hæc hortor, quæ tu non modo facere potes tua ſponte ſine cujuſquam præceptis, ſed etiam magna jam ex parte perfeciſti? Non enim deſiſtunt nobis agere quotidie gratias honeſtiſſimæ & maximæ ſocietates: quod quidem mihi iccirco jucundius eſt, quod idem faciunt Græci. Difficile eſt autem ea, quæ commodis, utilitate, & prope natura diverſa ſunt, voluntate conjungere. At ea quidem, quæ ſupra ſcripta ſunt, non ut te inſtituerem, ſcripſi (neque enim prudentia tua cujuſquam præcepta deſiderat) ſed me in ſcribendo commemoratio tuæ virtutis delectavit: quamquam in his litteris longior fui, quam aut vellem, aut quam me putavi fore.

C. XIII. Unum eſt, quod tibi ego præcipere non deſinam, neque te patiar (quantum in me erit) cum exceptione laudari. Omnes enim, qui iſtinc veniunt, ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorant, ut in tuis ſummis laudibus excipiant unam iracundiam: quod vitium, cum in hac privata quotidianaque vita, levis eſſe animi atque infirmi videtur; tum vero nihil eſt tam deforme, quam ad ſummum imperium etiam acerbitatem natu-

hoc petas) ut tibi in re hac gratificentur, ideſt ut pactionum difficultates removeant, & negotium expediant.

ſocietates) publicanorum.

diverſa ſunt) quia inter exigentes & ſolventes magna diſſenſio eſt.

ſummum imperium) Hinc apparet, ſumma imperia acerbis naturis committenda non eſſe.

O 2

turæ adjungere. Quare illud non ſuſcipiam, ut, quæ de iracundia dici ſolent a doctiſſimis hominibus, ea tibi nunc exponam, cum & nimis longus eſſe nolim, & ex multorum ſcriptis ea facile poſſis cognoſcere. Illud, quod eſt epiſtolæ proprium, ut is, ad quem ſcribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat, prætermittendum eſſe non puto. Sic ad nos omnes fere deferunt, nihil, cum abſit iracundia, te fieri poſſe jucundius: ſed cum te alicujus improbitas perverſitaſque commoverit, ſic te animo incitari, ut ab omnibus tua deſideretur humanitas. Quare quoniam in eam rationem vitæ nos non tam cupiditas quædam gloriæ, quam res ipſa ac fortuna deduxit, ut ſempiternus ſermo hominum de nobis futurus ſit; caveamus, quantum efficere & conſequi poſſumus, ut ne quod in nobis inſigne vitium fuiſſe dicatur. Neque ego nunc hoc contendo, quod fortaſſe cum in omni natura, tum jam in noſtra ætate difficile eſt, mutare animum, & ſi quid eſt penitus inſitum moribus, id ſubito evellere; ſed te illud admoneo, ut, ſi hoc plene vitare non potes, quod ante occupatur animus ab iracundia, quam providere ratio potuit, ne occuparetur; ut te ante compares, quotidieque meditere, reſiſtendum eſſe iracundiæ; cumque ea maxime animum moveat, tum tibi eſſe diligentiſſime linguam continendam; quæ quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quam omnino non iraſci. Nam illud non

ut te ante compares) Particula *ut* redundat; quod eleganter fieri ſolet, quoties multa interponuntur.

